25

JOHANNIS ANDREÆ DEISCHII

MEDIC. ATQUE CHIRURG. DOCT.
INCLYTÆ REIPUBLICÆ AUGUSTANÆ MEDICI

DISSERTATIO

DE

USU CULTRORUM ATQUE UNCINORUM SCINDENTIUM EXIMIO IN PARTU PRÆTERNATURALI NEC VERSIONE FOETUS, NEC ADPLICATIONE FORCIPIS

ANGLICANÆ VEL LEVRETI

TERMINANDO;

SECTIONISQUE CÆSAREÆ MATRE ADHUC VIVENTE INSTITUENDÆ SECURITATE ATQUE UTILITATE.

SUOBACI,
SUMTIBUS JOHANNIS JACOBI ENDERESII.
1759.

VIRO

ILLUSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

DOMINO

ANDREÆ ELIÆ BÜCHNERO

S. R. I. NOBILI, CONSILIAR. ARCHIAT. ET COMITI PALATIN. CÆSAR. POTENTISS. REG. BORUSS. CONSIL. INTIMO, MEDICIN. ET PHILOSOPH. NATURAL. IN REGIA FRIDERICIAN. PROF. PUBL. ORDINARIO, ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATURÆ CURIOSORUM

PRÆSIDI DIGNISSIMO

UT ET

VIRO

ILLUSTRI, EXCELLENTISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO

DOMINO

CHRISTOPHORO JACOBO TREW

S. R. I. NOBILI, CONSILIAR. ARCHIAT. ET COMITI PALATIN. CÆSAR. SERENISSIM. PRINCIPIS ONOLDIN. CONSILIAR. ET ARCHIAT. INCLYT. REIPUBLIC. NORIMBERGENS. PHYSIC. PRIMARIO, ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATURÆ CURIOSOR. *DIRECTORI*, ACADEMIÆQUE REG. LONDINENS. BEROLINENS. ATQUE FLORENTIN. SODALI *DIGNISSIMO*.

CÆ-

CÆTERISQUE

ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATURÆ CURIO-SORUM

ADJUNCTIS,

SODALIBVS,

DOCTRINA ATQUE EXPERIENTIA CLARISSI-MIS, SPECTATISSIMIS

DISSERTATIONEM HANCCE, EA QUA DECET OBSERVANTIA

D. D. D.

AUTOR.

VIRI ILLUSTRES, EXCELLENTISSIMI, EXPERIENTISSIMI ATQUE DOCTISSIMI!

Artis Medicæ recte facta, ô Democrite, plerique vulgo hominum non omnino laudant, verum Diis ſæpe tribuunt, ſi vero natura reluctata perdiderit um, qui curatur, Medicos reprehendunt, umen prætereuntes, & ego ſane mihi videor

majo-

majorem reprehenſionem, quam honorem artis me aſſecutum eſſe; ſunt verba HIPPOCRATIS.

At utinam ultima in Medicorum vita hæc eſſet miſeria, nec ſibi dolores ipſi crearent. Qui priſcæ Medicinæ ſectatores dici, Collegæ nominari ſub uno Hippocrate militare volunt, quas æmulationes, rixas, invidiam, calumnias inter ſe alunt; ſunt verba PHILIPPI HOECHSTETTERI. (*)

Novum veritatis hujus aſſerti ſiſtit documentum Diſſertatio de re inſtrumentaria in arte obſtetricia, cum tribus obſervationibus ad Virum Clariſſimum ANDREAM BÜCHNERUM, Academiæ Naturæ curioſorum Præſidem digniſſimum data, Norimbergæ in officina W. M. Endteriana 1757. impreſſa, HENRICI NEPOMUCENI CRANZII, Medicinæ atque Phi-

(*) Confer. Præfat. obſervat. medicinal. *PHILIPPI HOECHSTETTERI*, *Phyſici Auguſtani*.

Philoſophiæ Doctoris, artis obſtetriciæ in alma Univerſitate Vindobonenſi Profeſſoris Publici Regii, qui non amore veritatem inveniendi & ſtabiliendi, ſed famam aliorum carpendi cauſa in Clariſſ. DEVENTERI, HEISTERI, BOEHMERI, ROEDERERI, & aliorum placita vehementer irruit, eaque tanquam inania rejicit; dente ſuo maledico quoque carptus, ad praxin, famamque meam defendendam hancce de eximio uncinorum & cultrorum ſcindentium in partu præternaturali, nec verſione foetus, nec forcipe Anglicana vel Levreti terminando, ſectionisque Cæſareæ matre adhuc vivente inſtituendæ ſecuritate atque utilitate, pro ingenii modulo conſcripſi DISSERTATIONEM, quam eo confidentius limatiori Veſtræ Academiæ ſubmitto judicio, quo certior ſum, nullum adeſſe periculum, ne ab invidia vel factione ſociorum doctrina ſupprimatur,

tur, dum hic unicuique liceat proprio ſe ipſum probare marte; Veſtrum itaque eſt, errantem in ſemitam reducere, in ſtadio vero currentem excitare; meos itaque qualescunque conatus, ut ſerena ſuſcipiatis fronte, enixe
rogo.

§. I.

Uncinum, uncum, inſtrumentum priſcis jam Medicis notum, vario cum ſucceſſu ad extrahendum foetum applicatum mortuum, a nonnullis ad aſtra usque elatum, ab aliis vero ad tartara detruſum, hodierno die a ſuſpicione malignitatis nondum liberatum, male a praxi clinica in totum rejici, circumſpecte autem magno cum ægrotantium emolumento adhiberi, uſus quotidianus evincit.

§. II.

De inſtrumentorum in arte obſtetrica hiſtoria, utilitate recta & præpoſtera adplicatione perquam erudite commentatus eſt HENRICUS NEPOMUCENUS CRANTZ, *Philoſ. & Medic. Doctor*, in Diſſertatione *de re inſtrumentaria in arte obſtetricia;* uncorum uſum & abuſum, eorumque varias ſpecies a §. VI. ad §. XXIV. Diſſertationis ſuæ dilucide indicat, „ eosque ad „ coarctatum caput ejiciendum ineptos, ad diffringendam cranii thecam periculoſos, in caſu autem relicti in utero corporis, capite ab hoc avulſo, aut „ capitis craſſi nimis & jam alio inſtrumento (mortuo foetu) comminuti, „ ſolum convenire „ recte judicat Clar. Autor. XIX. Diſſert. ſuæ; an vero in aliis caſibus nunquam adhiberi debere & vix prudenter poſſe, uti Clar. Autor vult, neque experientia neque ratione confirmatur.

§. III.

§. III.

De perforatoriis ſeu excerebratoriis in §. XX. XXI. XXII. & XXIII. agit, eorumque uſum ita limitat, „ *ut ea tantum in illo caſu, ubi grandior capitis „ moles per pelvis aperturam educi nequit, convenire judicet, præſertim ſi in„ ſimul minor eſt pelvis diameter, ut forceps intromitti nequeat, & certa „ ac indubitata mortem foetus comprobant ſigna; his vero deficientibus „ conditionibus neutiquam adhibenda ſunt. Vivo enim illi cerebrum exi„ mere velle infandum foret ſcelus* (a) *ſique ſatis ampla fuerit pelvis ut fa„ cili negotio introduci queat forceps, præſtare ſemper arbitratur, infantem „ licet mortuum, ſaltem integrum, quam effracto cranio & exemto cerebro, „ adſtantium oculis ſubjicere.* „

§. IV.

De cultris ſcindentibus §. XXIV. ita judicat: „ *Quod autem ſcindentium „ cultrorum, uncorum, ſcalprorum, ut & aliorum ad membri cujusdam ſepa„ rationem deſtinatorum uſum ſpectat, hanc operationem prorſus inutilem, in„ ſimulque periculoſiſſimam reputo. Etiamſi enim brachium, intra os uteri ad „ humerum usque protruſum, dimidia ſui parte ante genitalia abſcindatur, „ minime tamen hac ratione partus difficultas ſublata eſt, aut obſtaculorum „ conditio mutata. Certe os uteri conſtanter adhuc obturatum manet, & ta„ men, hoc non obſtante, paſſim hac præcepta inculcantur, & figuris, dimidio „ ablato brachio, in debitum ſitum verſi infantes exprimuntur. In ipſa au„ tem articulatione humerum abſcindere, ut hoc alii faciunt, itemque ca„ put a vertebris ſolvere* (b) *aut tranſverſe in utero ſitum infantem per me„ dium dividere velle, ruſticæ temeritatis, vera arte repudiatum, nec forte „ unquam ſine damno probatum conſilium habeto.*

§. V.

(a) „ Maxime in initio laborum, de qua re in §. XLVII. XLVIII. & XLIX. fuſius agit *Claris. Autor.*

(b) „ Iniquæ hujus encheireſis autor eſt CELSUS, quem complures alii imitati ſunt, „ imprimis quoque DEISCHIUS, qui in tractatu germanico, cujus titulus eſt: „ *Abhandlung, daſs vveder die Wendung, noch Engliſche Zange in „ allen Geburts-Fällen vor Mutter und Kind ſicher gebrauchet vverde*, „ aperte fatetur, quod & brachium, & caput a trunco ſeparaverit, itemque per me„ dium diviſerit infantem, non tamen ſemper, ut videtur, cum ſalute matris. Sic „ & D. MITTELHÆUSER *libr. cit.* §. *V. Articul. II.* brachium ex articu-

„ lae

§. V.

Claris. Autorem in allegatis §§is multa precarie ſumere, *pericula indicare, ubi non exiſtunt, verbo, non experientia*, ſed ſpeculatione judicare de uncis atque cultris ſcindentibus, caſus ſequentes probant.

Caſus I.

Prolapſum brachium dextrum,

Sectio colli foetus in utero,

,, latione, ut & ſcapulam ſolvit & eximit, ventrem etiam aperit, & medias vertebras ,, cultro dividit, §. VI. Toto coelo hallucinatur *Claris.* CRANTZIUS CELSOque injuriam facit, illum autorem hujus encheireſis iniquæ declarando; nonne jam ,, *Hippocrates libr. I. de morb. mul. Arg.* 87. hanc encheireſin CRANTZIO ,, dummodo iniquam ad vivum depictam deſcripſit: Diſſectum per ſcalpellum caput cum ,, contuſorio inſtrumento, ne in ramenta findatur, contundito, & oſſa per oſſium volſellam aut tractorium inſtrumentum juxta claviculam immiſſum, prout habuerit, extrahito, non multis ſimul ſed paulatim exemptis, ac rurſus ablatis, cum vero hæc foras extraxeris, & *in ipſis humeris fueris ambas manus in articulis cum ipſis humeris ſecato*, & ubi hæc extraxeris, ſiquidem fieri poterit, ut exeant, etiam reliqua facile extrahito, ſi vero non obediant, *totum pectus usque ad jugulum* findito, verum caveto ne in ventrem ſeces, & aliquid de inteſtino denudes, exit enim venter & inteſtina & ſtercus ſi vero horum quid excidat, majoris negotii jam res fit, *contundito autem coſtas, & ſcapulas contrahito*, & facile poſtea reliquum foetus procedet.

Quicunque vero foetus crus aut manum foras protendunt, quicquid ſane foris fuerit, quantum potes, penitiſſime reſecato, & reliquum profunditate intus explorata protrudito & foetum in caput vertito; cum autem vertere *aut ſecare puerum voles, ungues de manibus tuis reſecato, ſcalpellum vero quo diſſecas incurvum potius ſit*, quam rectum, & hujus caput occultato per indicem digitum, eodemque interna explorato ac deducito, ita ut caveas ne uterum attingas.

Ex his apparet, quod brachii & capitis a trunco ſeparatio, infantisque per medium diviſio, ſcapulæ ſolutio, ventris apertio, nullius ruſticæ temeritatis, vera arte repudiatum, nec forte unquam ſine damno probatum ſit conſilium, ab iis tantummodo iniquitatis argutum, qui praxin non ad lectulos ægrotorum ſqualidos, ſed in muſæo libris circumvallati exercent; male itaque *Clar.* CRANTZIUS praxin meam accuſat, cum ex obſervationibus meis idiomate germanico conſcriptis luce meridiana clarius apparet, me dummodo in caſu deſperato adhibuiſſe inſtrumenta ſecantia, in aliis vero caſibus, manu perficiendis, foetus verſione ſalvaſſe plurimos; teſtimonium hujus aſſerti etiam præbet §. XV. hujus Diſſertationis.

Uxor fabri equarii in Radau, trium jam infantum felix mater, trigeſimum agens annum 1754. die 4. May doloribus ad partum laborans, ruptis membranis, brachium dextrum foetus extra vaginam pendens tetigit obſtetrix, per aliquot horarum ſpatium exitum foetus incaſſum annixa, auxilium a me petiit; verſio ob nimiam uteri ſtricturam contraindicabatur, & de morte infantis ex abſentia pulſus in funiculo umbilicali certus, collum infantis uncino ſcindenti a capite ſeparavi, truncumque brachio extra vaginam pendenti manibus extraxi, caput vero ab uno latere ad alterum verſatile, ultra horæ ſpatium inaniter extrahere molitus, tandem manu obſtetricis ſuper abdomen parturientis poſita, eaque caput leniter preſſum uncino extraxi, placentamque ab utero ſeparavi, & ita puerperam ſalvavi.

Eadem foemina 1757. die 7. Januarii iterum Lucinam per triginta & ſex horarum ſpatium irrité invocans, a foetu mortuo, transverſe in utero ſito, una cum funiculo umbilicali & ſiniſtro ad partum brachio tendente, abſciſſo prius ejusdem collo, capiteque uncino extracto, feliciter opera mea liberata fuit.

Caſus II.

Prolapſum brachium ſiniſtrum, Sectio Colli foetus in utero.

Uxor lanionis in Hochdorff quatuor liberorum læta mater, triginta & quatuor annos nata, jam 1752. die 17. Novembris a foetu transverſe in utero ſito, unco ſcindenti a me diſſecto ſana & incolumis liberata, 1757. die 9. Januarii gemello uno excluſo, altero cum brachio ſiniſtro ad partum tendente, operam iterum efflagitavit meam; uterus jam per duodecim horarum ſpatium a partu alterius gemelli in tantum ſuper corpusculum nondum nati conſtrictus intromiſſionem manus ad foetum vertendum plenarie negabat; livor & flacciditas brachii inter genitalia pendentis, mortuum jam foetum eſſe certe indicabant; igitur ad arma erat confugiendum, parturiente in lecto probe diſpoſita, digitis manus meæ ſiniſtræ collo foetus applicatis, cultrum vel uncinum ſcindentem provide per volam manus ad digitos usque intromiſi, eoque collum a capite removi, hoc facto, brachium foetus extra vaginam pendulum manibus meis arripui, & hisce truncum extraxi; Capiti in utero ad huc hærenti in bregmate uncum acutum injeci, introducto indice & medio manus meæ ſiniſtræ in os foetus digito, cum dextra manu uncum, ſiniſtra vero os ſimul trahens, caput feliciter excuſſi, placentamque manu

ſe-

ſeparavi. Puerpera tres a partu bene peragens dies, nono poſt partum die exanthematibus purpuræ recedentibus ſpiritum efflavit extremum.

Caſus III.

Prolapſum brachium dextrum, Sectio foetus in utero.

Uxor villici in Gablingen, ſedecim jam infantum læta mater, quadrageſſimo tertio ætatis ſuæ anno doloribus ad partum correpta, ruptis membranis brachium foetus dextrum ad humerum usque tractione obſtetricis excluſit, fruſtris per triginta horarum ſpatium adhibitis omnibus, 1755. die 2. Febr. auxilium a me petiit; explorato foetus ſitu, eum diuturnitate dolorum tanta vi in partem pelvis inferiorem impreſſum inveni, ut vix digito, ne dicam manui aditus pateret; Flacciditas brachii, facilis cuticulæ a cute ſeparatio, certa mihi erant foetus mortui ſigna; rebus ſic ſtantibus, brachium manu ſiniſtra arripui, & uncino incurvato ſcindenti in articulatione cum ſcapula providè dextra exſolvi manu; verſione fruſtra tentata, ſpinam dorſi uncino ſcindenti diſſecui, & corpusculum in duas diviſi partes; abdomine foetus leniter ſurſum preſſo mihi licuit manu ſiniſtra pedes apprehendere, & hisce partem corpusculi inferiorem ex utero ducere; ligato funiculo umbilicali, & abdomine foetus a pectore plenarie ſeparato, pectus collo adhærens una cum brachio ſiniſtro extraxi manu; caput in utero reconditum digitis manus ſiniſtre ori foetus, dextræ vero nuchæ applicatis extrahere contendens, collo a capite & oſſibus maxillæ inferioris a ſe invicem trahendo ſeparatis, pectus a capite ſolutum in manibus erat; tantis obrutus miſeriis, operationisque diuturnitate, ultra duas horas durantis defatigatus, uncinum bregmati manu dextra injeci acutum, pollice atque auriculari manus ſiniſtræ faciei, indice, medio & annulari orbitis & naſo foetus fortiter appreſſis tandem caput magno cum labore excuſſi, placentam utero cohærentem manu ſeparavi, & parturientem inter ſacrum & ſaxum conſtitutam, Numine favente, ſalvavi.

Caſus IV.

Prolapſum brachium dextrum, Sectio foetus in utero.

Uxor textoris in Anhauſen duorum prolium læta mater, annum agens vigeſimum octavum, tertia vice ad partum parata, prolapſu brachii dextri perterrita, irritis adhibitis aliis 1756. die 24. Junii, operam requiſivit meam;

brachium inveni tumidum, preſſioni digiti cum fovea relicta cedens, motus digitorum nullus, ſeparatio cuticulæ facilis, certa erant foetus mortui ſigna; verſionem foetus contraindicabat corpusculum, a violentia dolorum per viginti octo horarum tempus durantium, tam arcte in pelvim preſſum, ut aditus manui plenarie negaretur; ad arma igitur pro ſalute matris erat properandum; abſciſſo uncino ſcindenti brachio, fruſtraque verſione tentata, corpusculum transverſe in utero ſitum in duas diſſecui partes, pedibusque ſola manu comprehenſis, abdomen & ex poſt pectus una cum brachiis & capite eduxi, placentamque ab utero ſeparavi; puerperio finito ſana & læta adhuc vivit & vivam edidit prolem 1757. d. 26. 8bris hæc foemina.

§. VI.

Ex caſibus in §. præcendenti allatis lucidè apparet, hanc operationem neque inutilem, neque periculoſam eſſe, modo ab artis perito perficiatur; *Claris.* CRANTZIUM vero in hac arte nondum multum feciſſe, nec ſudaſſe, ex ipſius verbis elucet, „quis quæſo artis peritorum brachium intra os uteri ad humerum usque protruſum, dimidia ſui parte ante genitalia abſcidit, vel abſcindendum præcepit, nonne hoc præceptum certum eſſet imperitiæ propriæ „ ſignum, „ nonne in ipſa articulatione, abſciderunt, & abſcindendum præceperunt Viri in arte obſtetricia eximii (a) Johann von HORN, (b) HEISTER, (c) DIONIS, (d) PEU, & alii, ſua itaque experientia confirmant, hoc vera arte nunquam repudiatum, nec ruſticæ temeritatis, ſæpius ſæpiusque ſine damno probatum eſſe conſilium. Experientia nondum conſtat, an forceps *Leyreti* bono cum ſucceſſu in hoc caſu applicata fuerit; valde dubito, eam in his caſibus utiliter applicari; etſi *Clar.* CRANTZIUS pag. 36. Differt. ſuæ illam hisce verbis: *Denique in illis omnibus fere caſibus, in quibus adeo male adhibentur unci, perforatoria, & alia hujus generis inſtrumenta;* tanquam indicatam deprædicat.

§. VII.

Nescio quo jure *Clariſſ.* CRANTZIUS in annotatione ad §. XXIV. commentationis ſuæ, titulum tractatus mei idiomate germanico conſcripti muti-

(a) Johann von HORN *Siphra und Phua*, pag. 267.

(b) HEISTERI *Inſtitution. Chirurg. P. II. Sect. V. Cap. CLIII.*

(c) DIONIS *Traité general des accouchemens Liv. III. Chapitre XVIII. & XXVII.*

(d) PEU. *Pratique des accouchemens pag.* 414.

tilavit, controverſiamque de inutilitate inſtrumentorum in partu præternaturali, a Viro in arte obſtetricia ſcriptis, non geſtis claro; mihi jam 1745. motam, reſponſo Facultatis Medicæ Helmſtadienſis 1755. judicatam, denuo reſuscitet, praxinque meam aliis ruſticæ temeritatis plenam, inutilemque tradat; nonne momentum controverſiæ tunc temporis jam agitatæ, fuit applicatio inſtrumentorum acutorum in partu præternaturali nec verſione foetus, nec forcipe Anglicana evitandorum; hoc vero momentum controverſiæ his verbis expreſſum: *noch dadurch die ſcharffe Inſtrumenten gänzlich können vermeiden vverden*, a *Claris. Autore* ſtudio ſupprimitur, neque mentem ſuam de applicatione uncorum & cultrorum ſcindentium dilucide explicat, ita ut lectori lateat, an hi vivo adhuc foetu, vel mortuo applicati, a *Claris.* CRANTZIO damnantur, uſum uncorum in XIX. admittit in caſu relicti in utero corporis Capite ab hoc avulſo, aut capitis craſſi nimis, & jam alio inſtrumento (mortuo foetu) comminuti, in aliis vero caſibus nunquam adhiberi debere, & vix prudenter poſſe contendit; quod vero inſtrumenta ſcindentia & acuta etiam in caſibus ab autore prohibitis adhiberi debere & prudenter poſſe, non ſolum aliorum, ſed & mea abunde probat experientia.

§. VIII.

Inſtrumenta acuta & ſcindentia, foetu adhuc vivente aliis fruſtra tentatis ad ſalvandam matrem omnino adhiberi debere & poſſe, Facultas Medica Helmſtadienſis in reſponſo ad Perilluſtrem Reipublicæ Auguſtanæ Senatum Secretiorem die 5. Aprilis 1755. dato, his verbis enunciat: Wegen der Zweyten Frage: *Ob und vvelcher Geſtalt der Gebrauch der ſcharffen Inſtrumenten bey lebendigen Kindern, und in ſchvverer Geburt vorzuſchreiben oder zuzulaſſen?* dienet zur Antwort, daſs man derſelben bey todten Kindern gar offt nicht, bey lebendigen aber nicht allezeit entübriget ſeyn könne, nur ſind dabey die Umſtände allemahl wohl zu conſideriren, und ſonderlich in beyden Fällen ſo wohl zu erſt mit Hand anlegen und innerlichen und äuſſerlichen tüchtigen Artzneyen, als hernach mit ſtumpffen Inſtrumenten, und ſonderlich der Engliſchen Zangen, das äuſſerſte zu verſuchen, ehe man zu dergleichen vor Mutter und Kind allerdings gefährlichen Inſtrumenten, wie die Hacken ſind, ſchreitet. Sollte aber die Lage des Kindes ſo beſchaffen ſeyn, daſs weder die Wendung möglich, noch das Kind mit der Engliſchen Zangen könnte weggebracht werden, ſondern ſich aus denen bekannten üblen Zeichen, bey der Kindbetterin offenbahrte, daſs Sie bey längerem Warten ſamt ihrer Leibes-Frucht elendiglich ſterben müſſte, ſo iſt

in

in ſolchen Fällen allerdings erlaubt, *nicht nur ein todtes, ſondern auch lebendiges Kind, mit Verluſt ſeines Lebens, in hoffender Erhaltung der Mutter, mit ſcharffen Inſtrumenten zu holen.*

Hanc ſententiam Perilluſtris Senatus ſecretior Decreto, die 10. Julii 1755. dato confirmavit, inſtrumentorumque debita circumſpectione adhibitorum uſum ſtabilivit.

§. IX.

Verſionem foetus non ſemper cum ſalute foetus & matris peragi, inſuperabilibusque interdum premi difficultatibus, ſequentes docent caſus; quis enim in his inſtrumenta acuta & ſecantia recta ratione rejiciet, nonne diuturna manuum adplicatione, genitalia fruſtra dilaniabit, & foeminam tantis jam calamitatibus obſeſſam, incredibiles cruciatus ab exitu & introitu manus perpeſſam, certæ tradet morti; nec inſtrumenta ſemper cum ſalute matris adhiberi, certa conſtat experientia; interim mors parturientis nullo modo inſtrumentis, ſed nimis procraſtinatæ atque perverſæ eorum adplicationi erit adſcribenda; male ex hac ratione rejici uncos & cultros, quis dubitet; nonne forceps Anglicana ſæpius ſæpiusque ſine matris & foetus ſalute applicatur, quis eam unquam ex hoc capite rejecit vel damnavit? Rem acu tetigit *Claris.* ROEDERER in alma Göttingenſi Univerſitate Medicin. atque Anatom. P. P. O. qui pag. 53. ſuarum obſervationum medicarum de partu laborioſo ita mentem exponit: „*Egregium utique vectis inſtrumentum eſt, nollem tamen eidem ut univerſali ferramento fidere in prolapſo capite. Ex ſuperiore obſervatione liquet, præferendum interdum eſſe verſionis artificium, ſequentes docebunt, forcipem nonnunquam præſtare, quin ad ipſum, ſi matre parcere volumus, perforatorium confugiendum eſſe. Sit itaque cuilibet auxiliorum generi ſuus honos, proprioque judicio in diſcernendis malis, malorumque remediis uti diſcat operator.*„

Caſus V.

Verſio fruſtra tentata.
Abſciſſo collo, extractio Capitis cum Marte.

Uxor lanionis in Inningen, annum vigeſimum nonum agens, jam die 18. Decembris anni 1753. Paragomphoſi capitis foetus per triduum laborans fruſtra tentata forcipe, ope perforatorii & uncini a foetu vivo a Parocho pagi baptizato liberata, 1754. die 8. Novembris fruſtra Lucinam invocans,

vocans, operam iterum efflagitavit meam; caput foetus in concavitatem oſſis Ilei dextri vi dolorum per viginti quatuor horarum ſpatium preſſum, dorſum foetus ad os uteri verſum, orificiumque uteri apertum inveni; ad ſalvandam matrem & prolem manum meam ſiniſtram in uterum immiſi, eaque ex pulſu funiculi umbilicalis de vita foetus certus, pedes arripui, eumque intra tempus octo horæ minutorum facili cum labore ad caput usque extraxi, atque baptizari curavi, fruſtra per horam tentatis encheireſibus, reſiſtentiam capitis nullo modo vincentibus, maxillaque inferiore vi digitorum meorum dilacerata, uncino bregmati quoque fruſtra adhibito, collum a capite unco ſcindenti ſeparavi, manuque ſiniſtra caput in parte pelvis inferi ore hærens circumegi, oſſaque bregmatis ab uncino adplicato comminuta digitis ſeparavi, molemque capitis comprimendo imminui, eique dextra manu uncum injeci, & ſic multo labore extraxi; parturiens, hæmorrhagia ſeparatione placentæ ab utero orta, clamore & ejulatu ejus promota, operationisque diuturnitate, ultra duarum horarum ſpatium durantis viribus fracta, tertia poſt peractam operationem hora obiit. Notandum, caput prægrande, & pelvim depreſſam, calamitates in hoc partu valde auxiſſe.

Caſus VI.

Verſio fruſtra tentata.
Capitis cum uncino extractio.

Uxor militis trigeſimum agens annum 1754. die 23. Novembris jam per triginta ſex horas doloribus ad partum vexata, Paragomphoſi capitis foetus laborans, forcipe & encheireſibus incaſſum adhibitis ope perforatorii & uncini a foetu mortuo vindicata, 1756. die 6. Septembris ad partum componitur, obſtetrix ad facilitandum partum, verſione foetum ad caput usque extraxit; fruſtra encheireſibus ab illa per duarum horarum tempus tentatis, ſuaſu parturientis auxilium petiit meum; faciem foetus ad latus parturientis dextrum ſpectantem, caputque in pelvim firmiter coactum inveni; manum ſine fructu adhibui, dilacerata ab actione digitorum meorum maxilla inferiore, ad arma mihi erat confugiendum; perforatorio quidem occiput aperire ſtudui inani labore, caput enim cavitatem pelvis implens, magnitudoque corporis foetus extra vaginam hærentis manui præcluſerunt viam, hancque operationem impediverunt; abſciſſo collo, ad caput intra oſſa pelvis firmiter hærens extrahendum, forcipem adhibui, etiam hæc reſiſtentiam capitis non vicit, irritis his omnibus, caput manu circumverti,

B bregma-

bregmatique uncinum manu dextra caute injeci, ejusque leni attractione vi bregmatis dextrum exſolvi, digitisque extraxi; imminuta capitis mole, manu ſiniſtra cranium comprehendi, dextra vero uncinum infixi, unitis viribus caput excuſſi, placentamque ab utero ſeparavi, puerpera læte tranſegit puerperium; monendum, hanc foeminam, alias ſanam depreſſa gaudere pelvi, eaque ex ratione partui laborioſo obnoxiam eſſe.

Eadem foemina die 21. Novembris 1757. tertia vice Lucinam ſibi infeſtam invocans, moroſitate obſtetricis, ſuo ingenio, utut parturienti exitiali, ſuisque tenebricoſis præjudiciis inhiantis, ſanioraque reſpuentis, per 26. horarum ſpatium fruſtra defatigata, tandem imploravit operam meam; foetum capite vehementia partus dolorum intra oſſa pelvis exoſtoſi anguſtatæ firmiter hærentem, forcipe Anglicana per horæ decurſum incaſſum adplicata, excerebratione & uncino extraxi vivum, baptizarique curavi; puerpera primum poſt partum bene conſumſit diem, ſecundo vero die vomitu, diarrhæa, & tumore abdominis correpta, lochiis rite fluentibus, tertio poſt partum die convulſionibus periit.

Die 24. Novembris ſectionem abdominis præſentibus anatomiæ ſtudioſis inſtituens, inteſtina tenuia inflammata, inteſtinum colum, ob rudiorem compreſſionem abdominis partum promovendi cauſa a mulierculis inſtitutam, ſphacelatum, uterum ad pugnæ magnitudinem jam contractum, una cum vagina in ſtatu ſano absque ullo inflammationis ſigno inveni, exoſtoſinque aperturam pelvis ſuperiorem anguſtantem adſtantium objeci oculis atque tactui; foetore intolerabili, anguſtiaque loci impeditus, ulteriorem viſcerum alias ſanorum inſpectionem nolens volens ſuperſedi.

Deploranda fuit hujus puerperæ, duobus jam partubus morte foetus peractis, ob malam pelvis conformationem in extremis conſtitutæ, in tertio nonniſi ſectione cæſarea una cum foetu ſalvandæ conditio; cum vero ſectio cæſarea, inſitioque variolarum (*) pomum Erides fuit inter plures Germaniæ Medicos, atque ars non habet oſorem niſi ignorantem, nullo modo mirandum, harum operationum exercitium legibus divinis atque humanis contrarium, noſtris etiam in regionibus ad perniciem ægrotantium ab iis tantummodo atro notari carbone, rejicique, qui neglecta ſolida Hippocratis

(*) Confer. *den Vorbericht des Gutachtens über das Einbelzen der Kinder-Blattern, ob es einzuführen rathſam, und für das gemeine Weſen nützlich ſey.* München und Augſpurg bey Mertz und Mayer, 1757.

tis doctrina ex numero formularum ſuas numerant ſcientias, gloriasque ſuas exinde emergere putant. (*)

(*) Confer. JOHANNIS STEHELINI *Diſſert. Chirurgico-Medica inauguralis de operatione cæſarea vivente adhuc matre cito, tuto, ac jucunde inſtituenda.* Baſileæ 1744. impreſſa, ex cujus Prologo ſequentia adducam verba: *Noſtris vero temporibus quam maxime dolendum, hinc inde tot inveniri Medicos Laurea Doctorali ſuperbientes, ac nihilominus in Chirurgia tantum non plane hoſpites, tot inquam Medicinæ cultores paſſim exiſtere, ſtudium ac Praxin chirurgicam ſive horrentes, ſive contemnentes, ſicque neglectam a Medicis Chirurgiam tam neceſſariam tamque nobilem & antiquiſſimam illam artis ſanandi partem, hodierna luce in quam plurimis civitatibus Europæ, maxime vero in Germania, non tam genuinis Chirurgis & peritis Operatoribus, quam vero Chirurgaſtris, Barbitonſoribus vel Balneatoribus quoque, non ſine hominum multorum pernicie impune exercendam relinqui, quorum plerique etſi vix prima Chirurgiæ fundamenta delibarint, nihilominus propter acquiſitam, qualitercunque barbas forcipe radendi ſeu novacula deglabrandi, capillos pectendi & artificioſe ſcindendi, vel dorſum fricandi ſcarificandique, notitiam perfectorum Chirurgiæ Magiſtrorum titulo ſeſe extollere; immo quod adhuc pejus, ſacra artis medicæ violare, haud erubeſcunt. Cum igitur perſuaſus eſſem perperam Chirurgiæ ſtudium a Medico ſeparari, omni cura in id incubui, ne plane hoſpes eſſem in Chirurgia, & quo attentius ei ſtudio operam navavi, eo pulchrius mihi idem apparuit.*

Occurrit itaque forte materia iſta de ſectione cæſarea, cujus dignitas gravitasque præ aliis, ut eam excuterem, & ſi vires meæ id permittent, quadantenus illuſtrarem ſe commendat. Fateor quidem me elegiſſe Thema ſummi momenti ac difficillimum, quod multi præſtantiſſimi alias Medici & Chirurgi adhuc ceu opus crudeliſſimum damnant, ac ſe juratos hujus ſectionis cæſareæ hoſtes appellant, ut PARÆUS, GUILLEMÆUS, ROLFINCIUS, SOLINGEN, MAURICEAU *& alii. Cum vero in eorum ſcriptis argumenta ſufficientia ad hanc operationem rejiciendam non invenerim & illos magis inanibus verbis quam ſolidis argumentis pugnare viderim, operatio vero hæc rite peracta neque difficilis neque lethalis (ut mecum conſentiunt* ROUSSETUS, BAUHINUS, MATTHÆUS CORNACUS, SENNERTUS, HILDANUS, CYPRIANUS, LANKISCHIUS, SAVIARDUS, ROONHUY-

Mulieres rudiore abdominis compreſſione inteſtina contundiſſe, nemo dubitabit; hic caſus quoque teſtatur, interdum amicam nimia officioſitate cariſſimam trucidare amicam; merito itaque ex arte ableganda atque proſcribenda eſt exitialis hæc encheireſis, methodo rationali contraria, non partum, ſed mortem parturientis promovens, de qua legi meretur *Clariſ.* CRANZII Commentar. de rupto in partus doloribus a foetu utero, pag. 63. 64. 65. 66. 67. 68. ubi non ſolum obſtetricum, ſed etiam medicorum, foetum vel placentam vehementiſſima abdominis compreſſione manu, orbe ligneo aut ſtanneo peracta ejicere nitentium errores, ad vivum depicti inveniuntur. Partus in hoc caſu enarrati etiam docent, ab uncinorum & cultrorum ſcindentium adplicatione rite peracta, neque gravia neque terribilia metuenda eſſe incommoda; caſus vero adeo triſtes, ſparſim in obſtetricantium ſcriptis obvii, contra providum cultrorum & uncorum uſum nihil probant; luce enim meridiana clarius apparet, non inſtrumentis, ſed perverſe operanti omnia adſcribenda eſſe incommoda, manu exercitatiore facillimo modo evitanda; male itaque uſus uncorum multis in caſibus perquam ſalutaris ex arte rejicitur, dictum enim: *Maneat uſus, tollatur abuſus*, etiam hic contra uncorum & cultrorum oſores valet.

Caſus VII.

Verſio fruſtra tentata.

Capitis cum uncino extractio.

Uxor textoris in Pferſen vigeſimo octavo nata anno die 16. Maji 1757. prima vice Lucinam invocans, verſione ab obſtetrice ob foetus ſitum obliquum fruſtra adhibita, operam imploravit meam; foetum jam mortuum,

HUYSIUS, RULOVIUS *aliique*) *omnibus aliis in corpore humano obvenientibus curationibus ac operationibus ob maximam inde generi humana profluentem utilitatem, ratione conſervationis ſæpius duorum hominum, ſit præferenda, conſtitui duabus partibus diſquiſitionem hujus prætexere, ita ut in prima parte Operationis hujus cæſareæ utilitatem, neceſſitatem ac poſſibilitatem evincam, ſecunda vero parte debitam ejus adminiſtrandi Encheireſin oſtendam. Faxit D. T. O. M. ut demonſtrata hujus operationis poſſibilitate & rite adminiſtrata optimi ſucceſſus ſpe, inanis plurimorum Medicorum & Chirurgorum timor depellatur, in ſolatium plurimarum miſerarum foeminarum, ſimulque eorum in ventre adhuc incluſorum foetuum.*

ſuum, occipite oblique ad os Ilei matris dextrum ſitum, pedemque dextrum inter oſſa pubis, & caput foetus hærentem percepi; pedem manu ſiniſtra ſolutum, linteo obtectum firmiter attraxi, foetumque ad caput usque liberavi, faciem foetus ad os Ilei dextrum ſpectantem, digitis ori & genis applicatis ad os ſacrum verſavi; digitos manus dextræ occipiti & nuchæ, ſiniſtræ vero manus ori foetus appoſui, omnibusque adhibitis viribus caput firmiter intra oſſa pelvis hærens extrahere ſategi, ſed eventus voto non reſponſit; maxilla enim inferiore a digitis meis ſoluta ulteriorem denegabat attractionem, ſpemque partum manu finiendi omnem præſcidit; neceſſitate coactus collum uncino ſcindenti a capite ſolvi, manuque ſiniſtra caput circumegi, bregmati provide uncino injecto, leniterque agitato unum oſſium bregmatis liberavi, manuque eduxi; his peractis, ſiniſtram manum capiti, dextram uncino orbitæ infixo applicavi, omnibusque intentis nervis trahendo tandem caput evulſi, placentaque manu ſeparata matrem ſalvavi.

Caſus VIII.

Verſio fruſtra tentata.

Capitis cum uncino extractio.

Uxor fabri equarii in Fridberg anno ætatis ſuæ trigeſimo ſeptimo, ſecunda vice doloribus ad partum per duos jam dies ſine effectu durantibus correpta, die 18. Julii 1757. auxilium a me petiit; foetum membranis ſuis incluſum, capite ad cavitatem oſſis Ilei dextri inclinatum, orificium uteri quaqua verſum apertum, uterum a ſpasmis liberum inveni, ad ſalvandam matrem & prolem, rupto digitis meis chorio & amnio, foetum ad pedes converſi, intraque ſex horæ minutorum ſpatium ad caput usque ſolvi, vivumque baptizari curavi; faciem foetus verſus os Ilei dextrum ſpectantem immiſſis ori digitis ad os ſacrum direxi, applicatis deinde digitis manus dextræ ori & genis, ſiniſtræ vero nuchæ & occipiti foetus, omnibusque nervis intentis trahendo & vacillando caput intra oſſa pelvis quaſi incuneatum liberare per horæ ſpatium fruſtra ſtudui; incaſſum adhibitis encheireſibus, ungue digiti medii & annularis manus ſiniſtræ, vi attractionis diſrupto, calore aeris, laborisque gravitate fractus, ad ſalvandam matrem, truncum a capite uncino ſcindenti dislocavi, caput manu ſiniſtra circumegi, dextra vero uncinum acutum bregmati provide injeci, ſolutumque os bregmatis manu eduxi, vagitus, anxia corporis jactatio, flagransque parturientis deſiderium S. Sacramentis provideri, inceptam impediverunt ope-

rationem, quam ſacris peractis in totum renuit, exhortatione adſtantium vero tandem permiſit; manui in uterum ductæ placenta ab utero, clamore & ejulatu parturientis ſeparata occurrebat; hæmorrhagia hanc ſeparationem inſequens, triſte ſane mihi erat omen; unica itaque ſalute ad Salvandam matrem in extractione capitis foetus adhuc in utero latentis poſita, manu ſiniſtra cranium comprimendo arripui, dextra vero uncinum acutum orbitæ infixi; idque multo labore evulſi; puerpera toto operationis decurſu, ultra duarum horarum durantis ſibi præſens, tertia poſt operationem hora ſpiritum efflavit extremum.

Plerique Practicorum reputant, caput incuneatum difficillimum in arte obſtetricia eſſe caſum; pace tamen tantorum virorum, caput a trunco ſeparatum, in utero relictum, cum mala pelvis conformatione conjunctum, merito inter difficillimos difficillimus ſalutari debet caſus, in quo, experientia teſte, vires parturientis & operatoris quam maxime franguntur, operatioque non ſemper cum ſalute matris adhibitur. Si mala pelvis conformatio ab initio partus animadvertitur, tunc operatio cæſarea ad ſalvandam matrem & prolem indicatiſſimum eſſet medium, quo uterque certius ſervarentur, aliis adhibitis indubitanter perituri.

Methodus a DIONIS, MAURICEAU, ut & a D. D. FRIDIO, præceptore meo ad cineres usque venerando, ad caput in utero hærens extrahendum adhibita, quam cum cæteris ejus diſcipulis quoque ſectatus ſum, uti ex caſibus allatis apparet, multis premitur difficultatibus, & non ſemper ſalutifera applicatur, quod tamen nullo modo ad contemptum tantorum virorum ſcribo, cum inventis facile aliquid additur, neque unius ſit hominis omnia agere, conjunctis igitur laborandum eſt viribus, ut veritas detegatur, multum enim adhuc reſtat operis, multumque reſtabit; nec ullo poſt mille ſecula nato præcludetur occaſio aliquid adjiciendi. Forceps tribrachialis D. LEVRETI tam in caſu capitis abrupti, quam cum corpore cohærentis in utero adhuc latentis, magnæ eſſet utilitatis, & omnibus aliis inſtrumentis præferenda; cum vero experientia nondum ſit confirmata (*) ulteriori artis peritorum examini & applicationi erit relinquenda.

Pror-

(*) Vid. *Obſervations ſur les cauſes & les accidens des plusieurs accouchemens laborieux par Mr.* LEVRET. a Paris. 1746., ubi pag. 98. verba ſequentia leguntur: *Troiſiement, avec mon inſtrument IL ME PAROIT POSSIBLE d'aider puiſſement (comme je l'ai decrit) a faire ſortir la tête d'un*

En-

Prorſus ſane mirandum *clariſ.* ROEDERERI in Elementis artis obſtetriciæ, Goettingæ 1753. excuſſis altum de forcipibus *Levreti* ſilentium; nec melius rem ſuam egit D. D. JOHANNES GODOFREDUS THEBESIUS, Phyſicus Hirſchbergenſis, in tractatu idiomate germanico ſub titulo *Hebammen-Kunſt* conſcripto Hirſchbergæ & Ligniſiæ 1756. edito, in quo quidem obſervationes *Levreti* pag. 316. ſcripti ſui indicavit, forcipes vero neque deſcripſit, neque æri incidi curavit, cum tamen meo judicio forcipes *Levreti* omnibus forcipibus, Anglicana excepta, a D. D. THEBESIO deſcriptis & delineatis merito præferendæ, earumque fabrica atque applicationis encheireſes accurate ab iis deſcribendæ ſint, qui ſtipendio conducti artem obſtetriciam docendo & exercendo aliis tradere volunt.

Ut vero mentem meam de utilitate forcipis *Levreti* tribrachialis aperiam, ea ad caput intra oſſa pelvis incuneatum & cum corpore conjunctum extrahendum debita encheireſium obſervatione mihi præ aliis perapta videtur; extractionem vero capitis a corpore ſoluti in utero hærentis, forcipibus difficillime peragi, experientia edoctus confidenter affirmo, & in hoc caſu uncinum acutum omnibus præfero forcipibus; nec me terret *Clariſ.* CRANZII de uncinis §. LIV. Commentationis ſuæ prolatum judicium, vel LEVRETI forceps tribrachialis experientia nondum confirmata, cum frequentior uſus firmum præbuit documentum, circumſpectam uncorum applicationem neque periculoſam neque inutilem eſſe.

Encheireſis a Doct. LEVRETO ad extrahendum caput infantis intra oſſa pelvis hærens, corporique adhuc conjunctum, pag. 67. & ſequent. obſervationum ſuarum propoſita mihi valde arridet; involvitur enim totum infantis corpus linteo calefacto, adſtantique ad elevandum, nullo vero modo ad trahendum traditur, & tunc D. autor forcipem tribrachialem applicari, caputque compreſſum educi docet; elevatione corporis multum facilitatur forcipis applicatio; quod vero in hoc caſu etiam forceps Anglicana bono cum ſucceſſu applicari poſſit, ex eo concludo, quia oſſa temporum & bregmatis ad utraque oſſa Ilei matris verſa facillime a forcipe applicata comprimi,

Enfant reſtée dans la matrice, le corps étant tout a fait ſorti, mais reſté encore en partie dans le vagin: je doute qu'avec le forceps on en puiſſe faire autant.

Caput infantis a corpore ſolutum in utero hærens matre vivente D. LEVRET, nondum extraxiſſe; ex lectione pag. 39. ad 44. obſervationum allegatarum apparet.

mi, atque caput in longitudinem compreſſum extrahi queat, quod tamen ulteriori remittam experientiæ.

§. X.

Ex caſibus in §. præcedenti allatis abunde patet, verſionem foetus non ſemper cum ſalute matris & prolis adhiberi, nec uncos & cultros in totum ex praxi ablegandos eſſe; veritatem hujus propoſitionis etiam agnoſcit Clariſ. Cranzius §. LII. LIII. LIV. LV. laudatæ ſuæ commentationis pag. 63. 64. 65. & 66.; hoc tantum moneo, cum §. LIV. Num. 3. mera ex ſpeculatione, minime ex praxi, uſum uncorum acutorum, ſcindentium, obtuſorum, ut & cultrorum periculoſiſſimum æque ac plane inutilem reputare; certe noſter artem obſtetriciam vix ultra triennium exercens, adeo adhuc felix fuit, ut ipſi difficiles & inveterati partus caſus nulli inciderint, multiplici vero experientia, tanquam optima rerum magiſtra edoctus, procul dubio ſenex perdenda fatebitur, quæ imberbis didicit, aliisque docendo ut vera obtrudit. Neque forcipem Anglicanam in omni partu laborioſo ſacram eſſe Anchoram, caſus ſequentes teſtantur.

Caſus IX.

Forceps fruſtra tentata.
Uſus perforatorii & uncini.

Uxor olitoris annum trigeſimum agens ſecundum, quinque liberorum læta mater, 1754. die 28. Junii ad partum compoſita, fruſtra jam per triginta ſex horarum tempus adhibitis omnibus, ad me confugit, foetum capite intra oſſa pelvis incuneato hærentem inveni, fruſtra tentata forcipe Anglicana, conjugum conſenſu, perforatorio cranium aperui, compreſſa manu ſiniſtra cranii mole, uncinoque manu dextra orbitæ infixo, foetum extraxi mortuum, placentamque utero cohærentem, manu ſeparavi; puerpera bene valuit, 1755. die 24. Octobris iterum doloribus ad partum jam per duodecim horarum ſpatium vexata, hora ſexta pomeridiana auxilium petiit meum; orificium uteri nondum plenarie apertum, verſus os ſacrum ſpectans, caput ſupra oſſa pubis ſitum inveniens, externé fomentationes, interné antiſpaſtica, confortantia & anodina præſcripſi; his ſine effectu adminiſtratis, die 25. Octobris hora matutina ſecunda vocatus, orificium uteri plenarie apertum, foetum occipite ad partum tendentem, reliqua capitis parte ad oſſa pubis hærentem digitis tangens, ad ſalvandam matrem & pro-

lem, tantis elogiis decantatum Roonhuysii arcanum ſive vectem adplicare mecum decrevi, vecte oſſibus bregmatis foetus provide adhibito, digitoque indice & medio manus ſiniſtræ inter collum veſicæ urinariæ & vectem tanquam hypomochlio impoſitis, partem vectis inferiorem ſenſim ſenſimque manu dextra elevavi, ſed ſine effectu; caput foetus enim immotum hærebat, ne hilum preſſione vectis deſcendebat, incaſſum per horæ ſpatium hac encheireſi tentata, ambabus ſenſim elevavi vectem manibus, & omnibus nervis intentis caput intra oſſa pelvis hærens excutere inani ſategi labore; parturiente in tantis conſtituta calamitatibus, ulteriorem vectis adplicationem renuente, magnitudine & ſitu capitis perverſo coactus, conjugum conſenſu perforatorio os occipitis & bregmatis aperui, foramini inde enato digitos manus ſiniſtræ inſerui, iisque caput attrahere fruſtra laboravi; vulneratis ab oſſibus cranii digitis meis, uncum acutum bregmati infixi, manuque ſiniſtra cranium attraxi, & ſic multo labore foetum capite graviter vulneratum, per triginta ſex minutorum horæ ſpatium adhuc viventem liberavi, baptizarique curavi; puerpera primis quatuor a partu diebus non optime valebat, lochiis vero largiter fluentibus, & calore febrili ceſſante, læta puerperium terminavit; 1757. die tertio Octobris ſanam feliciter peperit filiolam.

Quoad Roonhuysii arcanum ſeu vectem notandum, eum magnam integumenta cranii fortiter comprimendo effeciſſe ecchymoſin, ea ex ratione forcipem ſemper vecti præfero, ejus enim uſu partes capitis non tanta vi læduntur; incommoda taceam, quod vectis, ſi munditiei ſtudere, & contagium evitare velimus, peracta operatione novo obduci debeat corio, majoreque applicari difficultate forcipis brachio.

Caſus X.

Forceps fruſtra tentata
Uſus perforatorii & uncini.

Uxor molitoris vegeta, anno ætatis ſuæ viceſimo quarto, 1754. die 20. Auguſti prima vice ad partum compoſita, diris corripiebatur convulſionibus, ſingulis ad partum doloribus auctis, cum inſecuta anæſteſia, quibus medicus hujus familiæ *Experientiſſ. atque Doctiſſimus D. D. ADAMUS ANDREAS ESSICH, Collegii medici Auguſtani p. t. Decanus, Fautor atque Collega meus perquam colendus*, venæſectionem, antiſpaſtica & antepileptica opponebat, iis effectum ſperatum negantibus, ad conſilium vocatus, foetum capite oblique intra oſſa pelvis hærentem inveniens, adplicationem for-

cipis

cipis propoſui, annuente *D. D. ESSICH* eam tentavi, fruſtra aliquoties uno, & deinde duobus forcipis brachiis capiti foetus prægrandi adplicatis, durantibusque convulſionibus, ad ſalvandam matrem perforatorii & uncini uſum, tanquam unicum ſuaſi auxilium, iisque conſenſu medici & mariti, perfracto cranio foetum adhuc viventem extraxi, baptizarique curavi; puerpera remiſſis convulſionibus, ſex per horarum poſt partum ſpatium mente alienata jacuit, tandem ad ſe rediens, partum prægreſſum, eique præſentes ignorabat, puerperio bene peracto anno ſequenti læta facta fuit mater.

Caſus XI.

Fracto forcipis brachio.

Uſus perforatorii & uncini.

Uxor ſutoris trigeſimum ſextum agens annum, 1755. die 27. Septembris prima vice Lucinam per triduum fruſtra invocans, operam efflagitavit meam; foetum nucha & occipite, ad partum tendentem, reliqua capitis ſui parte oſſibus pubis firmiter oppreſſum, uno forcipis brachio tanquam (vecte liberare decrevi, immiſſo) itaque ad repagulum usque forcipis brachio, leniterque elevato deſcenſum capitis ab oſſibus pubis percepi, quam ob rem brachium forcipis majore cum vi ad caput plenarie excutiendum agitavi, ulteriorem vero agitationem interdixit fragor forcipis, in parte centri arcus ſeu feneſtræ inferioris fractæ, a capite nunc intra oſſa pelvis hærente, tanta vi preſſæ, ut neque ſurſum neque deorſum moveri potuit; in tantis conſtitutus calamitatibus, ad læſionem colli veſicæ urinariæ & vaginæ evitandam matremque ſalvandam, cranium perforatorio aperui, imminutaque ejus mole, forcipem inter oſſa pubis matris & caput foetus hærentem, digitis fracturæ applicatis, provide extraxi, uncinoque capiti infixo foetum adhuc viventem excuſſi, baptizarique curavi; mater puerperio peracto ſana vivit.

In hoc caſu perforatorium magnæ ſane fuit utilitatis, cujus beneficio forcipis brachium firmiter a capite foetus ad oſſa pubis preſſum, ſine læſione matris liberare potui; hoc forcipis brachium ferruminatum ſpectantium oculis aſſervo.

Caſus

Caſus XII.

Forceps fruſtra tentata.
Uſus perforatorii & uncini.

Uxor aurifabri anno ætatis ſuæ trigeſimo ſecundo die 3. Octobris 1756. prima vice ad partum compoſita, nocte irritis ad partum doloribus transacta, die 4. Octobris hora matutina quarta ſuaſu obſtetricis medicum ad conſilium vocavit, qui venæſectione & medicamentis partum facilitare ſtuduit, ſperato effectu non inſecuto, inter horam antepomeridianam undecimam & duodecimam vocatus, ab obſtetrice rogabatur, ut ipſe ſitum foetus occipite & nucha pelvim ingredientis tactu percipiat; medicus de ſitu foetus tactu convictus, obſtetrici verſionem foetus propoſuit; obſtetrice propoſitum rejiciente, alia vocabatur obſtetrix, quæ pariter verſionem foetus negabat, medicus foetus verſionem, ab ipſo in ſcriptis publicis facillimæ executionis deprædicatam, in hoc caſu ſuſcipere nolens abiit; inter horam pomeridianam quintam & ſextam revertens, parturientem cum adſtantibus, his verbis: *Das Stündlein bringe das Kindlein*, ad patientiam relegans, domum ſe recepit.

Hora decima veſpertina accerſitus, parturientem magnis abdominis doloribus, frequentioribus ructibus conjunctis, pulſu celeriore, caligine oculorum & capitis dolore laborantem inveni, fruſtra encheireſi tentata, forcipis Anglicanæ uſum ſuaſi, inſimulque ut ad conſilium vocaretur medicus ordinarius adſtantibus propoſui; præſentiam medici ordinarii parturiente & marito plenarie abhorrentibus, forcipem tentavi aliquoties incaſſum applicatis ambobus forcipis brachiis, caput collo reflexo ad partum compoſitum nullatenus moventibus, perforatorio cranium aperui, & uncino ei infixo foetum jam mortuum excuſſi, placentamque manu liberavi; puerpera durante puerperio bene valuit, & ſane adhuc vivit.

Forcipem Anglicanam non ſemper cum ſalute applicari, ex obſervationibus deſcriptis patet; neque forcipem LEVRETI curvam in omnibus caſibus ſalutiferam, multo minus univerſalem ejus in arte eſſe uſum, bene agnovit Clar. CRANZIUS pag. 49. ad 53. laudat. ſuæ Diſſertat. ubi datis circumſtantiis ſectionem cæſaream, uncos & perforatoria forcipibus præfert.

Neque ſententiam Clar. CRANZII pag. 45. memorat. Diſſert. ſuæ prolatam ſalutiferam agnoſco, certe optio in eo, an levioris foret momenti res, perforatoriis vivum occidere infantem, quam forcipibus vitam foetus con-

 ſer-

ſervando, perinæum aut alias partes dilacerare, ea ex ratione mihi anceps & vaga videtur.

1.) Quia ſigna vitalitatis foetus capite incuneato intra oſſa pelvis hærentis tam incerta exiſtunt, ut etiam hodie, adulta magis arte, & natura in hac parte ſcrupuloſius obſervata, ſæpius ferendo in judicio hæſitent exercitatiſſimi, uti ipſe CRANZIUS pag. 7. Diſſert. ſuæ judicat; quis igitur obſtetricantium de morte vel vita foetus in tali ſitu conſtituti, certa nobis tradet ſigna uno vel quinque ſenſibus cognoſcenda; cum itaque de vita foetus in hoc ſitu nulla adſunt certa ſigna, incolumitatem matris cum omnibus Practicis merito præfero incertæ vitæ foetus; atque ad rupturam perinæi præcavendam, perforatorium & uncinum cum *Clar.* ROEDERERO forcipibus antepono.

2.) Militat etiam optio, forcipibus vitam foetus dilaceratione perinæi aut aliarum partium conſervare, contra §. XLVIII. Diſſert. *Clar.* CRANZII, qui recta inductione ex ipſiſſimo WINSLOVII argumento conſequitur, minime matrem eſſe occidendam, ut ſervetur foetus, matrem vero dilaceratione perinæi vel aliarum partium, remotione a ſocietate mariti & amicorum, inhabilitate ad officia domeſtica morte lenta occidi quis dubitet; ergo aliorum relinquo judicio, an mater inſons ad ſalvandum incertæ vitæ prolem, tantis ſubjici debeat calamitatibus, nonniſi morte matris finiendis.

Toto vero cœlo aberrare *forcipem Anglicanam* in omnibus caſibus ſalutiferam deprædicantes, ſpeculatione non experientia de hoc inſtrumento judicantes, nemo inficias ibit.

§. XI.

Hiſce præmiſſis ad §. XLV. & XLVI. commentationis *Clariſ.* CRANZII me verto, eosque hic tranſcribo, lectoris benevoli judicio remittens, an mihi jure meritoque homicidia temeraria & deliberata imputanda ſint:

„ §. XLV. Contra indicatur autem forceps, imprimis *Levretiana* (de „ qua hic ſpeciatim ſermo eſt) imo & aliæ reliquæ in pluribus aliis caſibus.

„ 1.) In mala conformatione pelvis, eaque tali, quæ forcipis diame„ trum introduci negat, atque tunc ROONHUYSII forceps tentanda „ erit. (q)

„ 2.) Ubi grandior capitis diameter ingreſſum ejus in pelvim non „ per-

(q) „ Hæc enim cum unica tantum lamina conſtet vectis, latitudiniſque diametrum unius „ ſaltem pollicis habeat facili introduci poteſt.

„permittit, & profundiſſime ad acta forcipe firmiter illud prehendi nequit, „ut compreſſum educi queat, quo caſu exſpectandum, ut incuneatum „evadat.

„§. XLVI. Quid vero præſente prima contraindicatione agendum „ſit, recte in præſenti quæritur; quod ut determinem, ſub duplici facie „caſum conſiderandum duco; vel enim ab initio laboris mala conformatio „pelvis obſervatur, capitis trajiciendi, ob nimiam ejus molem, impoſſibi„litas præſentitur, & vita foetus adhuc præſens indagatur; vel nihil horum „animadverſum, & lapſis in deteriora rebus, infans etiam mortuus eſt: in „primo ſtatu, dum nulla plane a quibuscunque demum forcipibus ſperanda „eſt ſalus, apertionem cæſaream, validis adhuc matris viribus, uncorum & „perforatorum, cujuscunque demum naturæ fuerint, artificio præferen„dam recte voluit Clariſ. WINSLOVIUS (r) licet re non ſatis examinata, „ROEDERERUS & plures alii ad perforatoria confugiant, & illico infanti „violentas manus inferant; hoc poſterius vero impium eſſe, jam Eccleſiæ „Doctores omnesque Theologi, inhumanum vero omnes ſana utentes ra„tione dixerunt, unde etiam in hoc ulterius dilucidando nervum non inten„dam. Antequam vero ex integro hanc materiam dimittam, medium „DEISCHII ſyſtema adhuc examinandum venit.

„Hic equidem (s) dum certa vitæ foetus adſunt ſigna, homicidium „cum aliis prohibet; verum dum certa colligi non poſſunt, illud permit„tit, his verbis: *Contra omnes leges tam religionis, quam ſummorum impe„rantium militat, infantem de cujus vita adhuc certa ſunt ſigna, ad ſalvan„dam matrem occidere, interim in hoc caſu (capite nempe impacto) ſigna „de vita infantis tam incerta ſunt; capite enim pelvim ingreſſo, aquisque „effluxis, infans a contractione uteri tali modo premitur, ut non amplius ſe „movere queat, & licet ſe moveret, a matre partim ob dolorum vehemen„tiam partim ob convulſionum præſentiam, non percipitur, introductio ma„nus vero ad funiculum umbilicalem palpandum a capite in pelvim firmiter „preſſo, in totum impeditur, arteriis enim umbilicalibus in ſyſtole & diaſtole „conſtitutis, de ejus vita certi eſſe poſſumus, ſed in hoc caſu experiri non li„cet,*

(r) „In Quæſt. medico-chirurgica: *An ad ſervandam præ foetu matrem ob„ſtetricium hamatile minus anceps & æque inſons, quam ad ſervandum „cum matre foetum ſectio cæſarea?* Pariſiis 1744.

(s) „In Differt. inaug. *de neceſſaria in partu præternaturali inſtrumentorum „applicatione.* Argentor. 1740.

„*cet, alia vero ſigna valde ſunt dubia; aggreditur itaque obſtetricans in-*
„*ſtrumentis non infantem de cujus vita certus eſt, & ſicuti in jure inculpatæ*
„*tutelæ permittitur, aggreſſorem, mortem nobis minitantem, niſi depelli ali-*
„*ter poſſit, e medio tollere, cur non obſtetricans infantem, tanquam aggreſſo-*
„*rem matris non aliter depellendum, de cujus vita inſuper incertus eſt, ad*
„*vitam matris conſervandam, e medio tollat?* Verum tamen hoc ſyſtemate
„& ejus rationibus rite examinatis non deprehendo virum iſtum veritatem
„methodo Winslowiana quærere voluiſſe, atque in eadem ac alios
„omnes ſententia eſſe, imo ut homicidia aliorum, & ſua excuſaret, jam ju-
„venem ſtuduiſſe; fucum enim facit, dum motum infantis tempore dolo-
„rum & convulſionum a matre non perceptum dubium quoddam de vita
„infantis concitare poſſe contendit, quum tamen in partu etiam maxime
„naturali mater foetum, poſtea vivum editum, ſæpius moveri non ſentiat,
„imo & ipſo hoc tempore perceptus motus parturientem ſæpe fallat. Sic
„Lutetiæ Pariſiorum caſum vidi, ubi jam a XLIV. horis effuſis aquis, in-
„fantis ſui motum ſæpe ſe percipere aſſerebat parturiens, & idcirco illum
„adhuc inde certo vivere adſtantibus perſuadebat, Levreto tamen non
„impoſuit, qui forcipe prævio incuneato capiti applicata, maceratum & diſ-
„ſolutum brevi eduxit cadaver. Non minus etiam hallucinatur, dum in-
„troductam pro palpando fune umbilicali manum cum priori ſolum tan-
„quam certum vitæ infantis ſignum ſtatuit; in nullo autem caſu ultimum
„hoc facere expedit, & rari ſunt, qui prævio capite prodeunt, & in qui-
„bus illud licitum eſt, quemadmodum etiam primum iterum raro adeſt,
„ſæpiusque adhuc fallit. An igitur ideo, ſi non facile progreditur mortis
„cenſendus reus infans eſt, quoniam hæc duo obſcura vitæ ſigna non ad-
„ſunt? certe id prorſus ridiculum videtur; quin hodie Deischius praxi
„alia didicit, ut ex ejus obſervationibus patet. Merito ergo nunc con-
„cludo:

„1.) Inculpatæ tutelæ legem, qua infans accuſatur, quod aggreſſor
„matris ſit, & ex hoc capite occidendus reputatur, eſſe præpoſteram Juſti-
„niani codicis a Medico interpretationem, in criminis deliberate patrati,
„aut patrandi excuſationem, maxime in caſu propoſito excogitatam.

„2.) Capite in pelvim impacto inutiliter de ſignis vitæ vel mortis
„fuiſſe ſollicitum auctorem, quum hic partus, ſive vivus, ſive mortuus ſup-
„ponatur, forcipe abſolvi, non unco aut perforatorio cruentari debeat.

„3.) Deischium & reliquos omnes, qui hancce tetigerunt mate-
„riam, in eo maxime peccaſſe, quod caſus inſtrumento ſalutari, absque ef-
„fuſio-

„fuſione ſanguinis terminandos, ſuſcitarint non vero tales, quos partus cir- „cumſtantiæ deſperatos faciunt, & jam natura ipſa, omneque auxilium mor- „talibus cognitum pro calamitoſis declarant, in quibus tamen pondus & vis „quæſtionis vertitur, ſic v. g. ſi ex hauſtis jam matris viribus ſerius advo- „cetur obſtetricans, in caſu, ubi infantis pravus ſitus aquarum ſimultaneum „& præpoſterum effluxum concitavit, ut partus ex ſiccitate vaginæ difficilis „evadat; ubi adeſt continuus, ob irritationem, in utero ſpasmus, ut ex con- „tractione violenta uteri, & conglomeratione foetus, impoſſibilis evadat „verſio, nemo eſt, qui non intelligat jam hac via præcluſam ſalutem. Ad- „hibeatur nunc forceps, licet non omnimode indicata, tanquam ſola, qua „infanti vita ſervari poteſt, anchora, flectatur etiam, ſumma licet cum pru- „dentia, inutili labore inſtrumentum, ne hilum tamen proficiet obſtetri- „cans; interea inflammatione tentari uterus, pejus habere mater, & vive- „re forte adhuc poteſt infans. Hic caſus eſt is, qui vere in problemate „quæritur, nam partus nullo auxilio cognito ſalvari in noſtro, in illis vero „a DEISCHIO & aliis aſſignatis facile poteſt. (u)

§. XII.

Clariſ. CRANZIUS ridiculam ſane mihi movet objectionem, aſſeren- do, me veritatem methodo *WINSLOVIANA* quærere noluiſſe, cum ta- men conſtat, Diſſertationem meam jam 1740. prodiiſſe, *WINSLOVII* Quæſtionem medico-chirurgicam vero 1744. ventilatam fuiſſe, quis itaque recta ratiocinandi methodo utens mihi imputabit ea, circa quorum cogni- tionem invincibili laboravi ignorantia, nonne iſta methodus a *CRANZIO* ipſo §. XLVIII. Commentationis ſuæ his verbis rejicitur: „Non tamen etiam „pii *WINSLOVII* noſtri ſententiæ aſſentiri poſſum, qui in omni caſu, ex „eo, quod foetus *omnino ſit inſons, inſons omnino mater, foetus inſons re- „ſpectu matris, mater inſons reſpectu foetus, neque foetum inſontem, ut ſer- „vetur mater, neque matrem inſontem ut ſervetur foetus occidere, ulla un- „quam directa intentione licere* ſtatuit, atque idcirco pro operatione cæſa- „rea concludit, eamque autoritate HELVETII, jam anno 1731. in *Hiſto- „ria Regiæ ſcient. Academ.* confirmata, dicentis: *Ne dicas cæſareum partum „in certa deſperatione dubiam ſpem eſſe* (w), corroborat. Verum tamen ex „ipſiſ-

(u) „Atque tunc ſecundum diverſas caſus circumſtantias approprlata eligi inſtrumenta poſ- „ſunt, baptizato tamen ſub conditione prius foetu, cui & in fune umbilicali, conferri „baptiſmum poſſe, decrevit Conſiſtorium Viennenſe anno 1754.

(w) „In Theſi; *Ergo in partu difficili ſola manus inſtrumentum.* Pariſiis, 1744.

„ ipſiſſimo WINSLOVII argumento (x) id tantum recta inductione conſequor, „ eſſe tunc utrumque ſuo fato, certa excepto morte, relinquendum, minime „ vero operationem cæſaream inſtituendam; quod hac multis in caſibus ſu- „ ſcepta, directa intentione occidatur mater, ut ſervetur foetus.

Pag. 55.: „ At caſum talem etiam præviſum, & operationem cæſa- „ ream idcirco non commendatam fuiſſe, dabo; iterum nunc, quid conſilii, „ rogo? utrumque placide mori ſinunt, ex adducto argumento; quam vero „ id durum, crudele, barbarum, & inhumanum ſit, non ita quidem verbis „ exprimi poteſt, quam quidem ſub ipſo hoc calamitoſo ſtatu ad parturien- „ tis lectum ſentitur.

Eadem pagina: „ Si enim fractis jam parturientis viribus illa inſtitue- „ retur, ad ſalvandum, ut putabatur, utrumque, foetus vero jam diu emor- „ tuus eſſet, & dein poſt ſectionem etiam vita defungeretur mater, quæ re- „ moto & ablato per vias naturales foetu, certius potuiſſet ſalvari, quis hac „ operatione vitam matris perditam eſſe negabit.

Pag. 60.: „ Quod ſi forte objiciat, an perforatorio occidi & unco „ diſcerpi debuiſſet? reſpondeo, ſi hæc adhibere voluiſſet inſtrumenta, tunc, „ baptizato prius foetu, occiſum quidem hunc fuiſſe, de quo, an viveret, „ non conſtabat ex hiſtoria, ſed tantum ex rei eventu; aſt, hoc modo ho- „ micidium ex ignorantia forte invincibili patratum, non vere temerarium „ & deliberatum fuiſſe.

§. XIII.

Ex verbis itaque *Clariſ.* CRANZII luce meridiana clarius apparet, eum methodum WINSLOVII, quam mihi & aliis tanquam veram deprædicat, nullo modo obſervaſſe, cum perforatorium & uncinum ſectioni cæſareæ præfert, & homicidia ex ignorantia forte invincibili patrata admittit. Quis vero non videt, CRANZIUM mihi opprobrantem, me jam juvenem ſtuduiſſe, ut homicidia aliorum & mea excuſarem, in re tam ſeria meram agere Logomachiam, cum ipſe fruſtra tentata forcipe, ſecundum diverſas caſus circumſtantias, baptizato ſub conditione prius foetu appropriata eligi inſtrumenta poſſe, pag. 53. laudatæ ſuæ Commentationis ſub lit. (u) aſſerit, homicidiaque patranda indicat, atque in criminis patrandi excuſationem præpoſteram Juſtiniani codicis a Medico interpretationem, uti N. I. loqui amat, maxime in caſu propoſito, excogitatam approbat.

2.) De ſignis vitæ vel mortis foetus capite in pelvim firmiter preſſi,

me

(x) „ Quod inter Theologos & Juriſconſultos difficultatibus haud caret.

me tunc temporis non inutiliter ſollicitum fuiſſe, ex hoc apparet, quia 1740. forceps Anglicana prorſus adhuc ignota erat, *disquiſitione de uſu & præſtantia forcipis Anglicanæ Clariſ.* BOEHMERI, quem Argentorati 1739. commilitonem habui, 1746. publici jurisfacta, inſtructus, eam hic loci fabricari curavi, 1749. die 22. Auguſti prima vice adhibui, uti ex caſu XXXIX. ſcripti mei idiomate germanico editi elucefcit; itaque ad ſigna mortis vel vitæ foetus ante applicationem inſtrumentorum reſpiciendum fuit; clariora & certiora vero ſigna, motu corporis foetus & pulſu arteriarum umbilicalium tactu ipſius obſtetricantis percepta cum omnibus in arte peritis ignoro; ſi duo hæc ſimul adſunt ſigna, tunc certe de vitalitate foetûs judicamus, horum vero abſentia nunquam de ea certum ferre poſſumus judicium, quod tamen in praxi obſtetricia ſcitu quam maxime requirebatur, ne foetum per multarum horarum ſpatium capite in pelvim firmiter preſſum pro mortuo reputemus, eumque perforatoriis vel uncinis extrahamus; in diagnoſi autem horum ſignorum optimos hallucinatos eſſe practicos, experientia conſtat, neque ea CRANZIO hodie perſpecta eſſe ex eo apparet, quia foetum forcipe inutiliter applicata inſtrumentis extrahendum, *ſub conditione prius baptizari docet.*

Partum foetus capite in pelvim firmiter preſſi, hodie ut plurimum forcipe abſolvi, nec unco aut perforatorio cruentari debere, praxi edoctus affirmo; eam vero non in omni caſu cum exoptato applicari effectu, & ſæpius ingrate inutilem eſſe, quoque agnovit CRANZIUS in §. XLIII. XLIV. & XLV. Commentationis ſuæ.

3.) Me minime in eo peccaſſe, uti *Clariſ.* CRANZIUS vult, quod caſus inſtrumento ſalutari, absque effuſione ſanguinis terminandos ſuſcitaverim, non vero tales, quos partus circumſtantiæ deſperatos faciunt, & jam natura ipſa, omneque auxilium mortalibus cognitum, pro calamitoſis declarant, in quibus tamen pondus & vis quæſtionis vertitur, teſtantur caſus IX. X. XXII. XXIV. XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. XXXII. XXXVI. XLI. XLII. XLIII. XLIV. XLV. XLVI. XLVII. XLVIII. L. LI. LV. LVI. LVII. LVIII. LX. LXI. ſcripti mei idiomate germanico editi, cum debita attentione eos legenti patebit, me ſæpius ſæpiusque ſerius advocatum fuiſſe, jam exhauſtis matris viribus, in caſu, ubi infantis pravus ſitus aquarum ſimultaneum & præpoſterum effluxum concitavit, ut partus ex ſiccitate vaginæ difficilis evaſerit, ubi adfuit continuus, ob irritationem in utero, ſpasmus, ut ex contractione violenta uteri, & conglomeratione foetus, impoſſibilis

bilis evaſerit verſio, viaque ad ſalutem plenarie præcluſa fuerit, nonne adhibui forcipem, tanquam ſolam, qua infanti vita ſervari poteſt, anchoram, flexique ſumma qua potui dexteritate, inutili labore inſtrumentum, ne hilum profeci; interea inflammatione tentatus fuit uterus, pejus habebat mater, & infans vivus perforatorio & uncino a me extractus fuit; hi vere ſunt illi caſus, in problemate a CRANZIO quæſiti, in quibus foetus nullo cognito auxilio ſalvari potuit, inſimulque teſtimonium præbentes, eos nec vidiſſe nec legiſſe, alias eorum lectione certus factus fuiſſet, me nunquam infantem, ſi non facile progreditur, ex abſentia duorum obſcurorum vitæ ſignorum, mortis reum cenſuiſſe; prorſus itaque ridiculum videtur, CRANZIUM ex obſervationibus meis non perſpexiſſe, me hodie Dei gratia *praxi alia didiciſſe*, illumque erronee de iis concluſiſſe, quis non intelligit.

§. XIV.

Clar. CRANZIUM nimis præcipitanter de ſcripto & praxi mea judicaſſe, aliorum de iis ſententia probat:

Beytrag zu den Erlangiſchen gelehrten Anmerckungen *XXXXI.* Woche, Sonnabends, den 12. Octobr. 1754.

Bey Kletten zu Augſpurg iſt herausgekommen: D. Joh. Andr. Deiſch, eines Löbl. Collegii Medici des H. R. R. Stadt Augſpurg Mitglied, wie auch zu dem Examen der Wund-Aerzte Oberherrlich verordneten Medici, kurze und in der Erfahrung gegründete Abhandlung, daß weder die Wendung, noch Engliſche Zange, in allen Geburts-Fällen weder vor Mutter und Kind ſicher gebraucht, noch dadurch die ſcharffen Inſtrumenta gänzlich vermieden werden können, nebſt einem Anhang von eingeſperrten Brüchen. 7½. Bogen in 8. Die Gelegenheit, dieſe Abhandlung heraus zu geben, iſt durch den Widerſpruch entſtanden, welchen die von dem Verfaſſer vor 13. Jahren zu Straßburg gehaltene Diſſertation, de neceſſaria in partu præternaturali inſtrumentorum applicatione, in Augſpurg gefunden. Man hat nemlich die Inſtrumenta für Leben, Leib und Seelen gefährlich ausgegeben, und folglich deren Abſchaffung vor nöthig gehalten, weil es leicht ſeye, das Kind zu wenden, oder daſſelbe durch Krampf-lindernde Arzneyen zur Geburt zu befördern; da aber dieſe und mehrere Vorwürffe von denen, die ein erleuchtetes Einſehen in den Nutzen der Inſtrumenten gehabt, vor unzureichend gehalten worden, ſo iſt auch dem Verf. der vorhero unterſagte Gebrauch der Inſtrumente in den nöthigen Geburts-Fällen wiederum Obrigkeits wegen erlaubet worden. Um aber auch ſeine gerechte Sache durch die deutlichſte Beyſpiele zu befeſtigen, hat der Verf. aus

350. ihme vorgefallenen ſchweren Geburts-Fällen 61. der vornehmſten und bedencklichſten Auszugsweiſe beſchrieben, und damit zur Genüge erwieſen, daß man nicht allezeit der entkräfftteten Natur zuſehen dörffe, ſondern ihr auch mit würckſamen Mitteln und Handanlegen zu Hülffe kommen müſſe. Im Anhange werden einige beſondere Caſus von Hernüs incarceratis angeführt, welche nebſt denen vorhergehenden Exempeln von der rühmlichen Geſchicklichkeit und Erfahrung des Verfaſſers ein deutliches Zeugniß ablegen.

Leipziger Gelehrte Zeitung *N.* 75.

In eandem quoque abiit ſententiam Facultas medica Helmſtadienſis in reſponſo, ad Perilluſtrem Reipublicæ Auguſtanæ Senatum Secretiorem die 5. Aprilis 1755. dato. Neque oblivioni danda eſt Doctiſſim. atque Experientis. D. D. Georgii Danielis Boeſſeli, Ducatus Slesvicenſis Phyſici epiſtola, idiomate germanico ad me ſcripta, quam in extenſo adjungo:

Hoch-Edl.

Mit beſonderm Vergnügen habe dero Abhandlung von der Wendung, Engliſchen Zange und ſcharffen Inſtrumenten geleſen, und zugleich den Ort dero Aufenthalts daraus erſehen. Ich gebe mir die Ehre, Euer Hoch-Edl. hiebey ein Exemplar meines Hebammen-Tractats zu communiciren, dieſer iſt vom Collegio medico Hafnienſi approbiret, und deswegen auf Königl. allergnädigſten Befehl in Allerhöchſt-Deroſelben teutſchen Provincien bey allen Hebammen introduciret, nunmehro aber auch unter der Däniſchen Preſſe. Ich erbitte mir dero Sentiment darüber Freundſchafftlich aus, ſowohl überhaupt, ob nicht dadurch die Hebammen-Kunſt recht allgemein nützlich gemacht werden könnte, wenn die Hebammen überall darnach informirt würden, als insbeſondere, was Euer Hoch-Edl. etwann daran zu verbeſſern finden. Jenes iſt meine Abſicht bey Edirung deſſelben geweſen, und dieſes iſt meine Abſicht, im Fall ich die zweyte Auflage erlebe. Meines Erachtens geben die Hebammen eben dadurch hauptſächlich Gelegenheit, denen Accoucheurs Hebammen-Dienſte zu thun, weilen jene den 2ten und 3ten Articul §. 249., theils aber auch den 4ten Articul §. 398. bis 436. nicht verſtehen. Woferne mein Hebammen-Tractat auch Euer Hoch-Edl. Beyfall findet, und dieſelbe ihn bey den Hebammen introduciren wollten, ſo ſind Exemplaria in der Grafſchafft Henneberg in Suhl bey Herrn Anſchütz zu bekommen, à 10. Ggl.

Ein hieſiger Accoucheur, der die Däniſche Verſion beſorget hat, hat mir angerathen, Kupffer dazu zu fügen; ich habe desfalls an Herrn D. Treuw in Nürnberg geſchrieben, aber keine Antwort erhalten. Alſo ergehet an Euer

Hoch-Edl. meine ganz ergebenſte Bitte, mir zu berichten, 1.) ob dieſelbe die nöthige Kupffer ſtechen zu laſſen ſich die Mühe übernehmen wollten, wenn ich vorhero Caution in Augſpurg wegen der Koſten geſtellet haben würde, 2.) was die Copie eines Kupffers aus Deventers Hebammen-Licht, und aus Mauriceau in Median Octav koſten ſollte; denn ich würde nur wenig neue Kupffer dörffen zeichnen laſſen, wenn ich auch alle Situationes foetuum poſſibiles vorſtellen wollte, ſondern die Stellungen der Kinder pag. 159. lit. (g.) würden zwey neue Kupffer erfordern, und §. 507.-508. eine Gebähr-Mutter, die nach Verflieſſung der Waſſer, ſich quam arctiſſime um den Foetum zuſammen gezogen hat, ſo daß nicht das geringſte Spatium zwiſchen dem Foetu und Utero übrig ſey. Ich erbitte mir ganz ergebenſt eine baldige Antwort aus, und verbleibe mit aller Hochachtung

Euer Hoch-Edl.

Flensbourg, den 30. Julii,
1754.

ergebenſter Diener
G. D. Boeſſel, M. D.

§. XV.

Quod vero in aliis caſibus, ubi facile foetus ſalvari potuit, pro virili egerim, non ſolum ceteri triginta tres ſcripti mei idiomate germanico editi caſus luculenter probant, ſed multi ex illis, qui mihi ab anno 1754. usque ad annum 1757. occurrebant, quorum catalogum ad famam & praxin meam tuendam apponere juvabit.

Verſione extraxi.	Foetus vivos - -	37.
	mortuos - -	8.
	Summa	45.
Forcipe.	Foetus vivos - - - -	11.
	mortuos - - -	2.
	Fruſtra tentata vivos - -	5.
	Summa	18.
Perforatorio & uncino.	Foetus vivos & baptizatos -	4.
	mortuos - - -	6.
	Summa	10.

Collo

Collo vel brachio abſciſſo	Foetus mortuos	13.
Verſione	vivos extraxi	37.
Forcipe.		11.
Perforatorio & uncino.	vivos & baptizatos	9.
	Summa vivorum	57.
Verſione mortuos		8.
Forcipe		2.
Perforatorio & uncino		6.
Collo vel brachio diſſecto		13.
	Summa mortuorum	29.
	Summa omnium	86.

Ex his 29. mortuis duas partes tertias adhuc ſalvari potuiſſe, nullatenus dubito, modo verſio in tempore inſtituta fuiſſet.

Dolendum, quod etiam in his regionibus (*) obſtetricantes non niſi rebus ſumme deſperatis demum accerſantur; ſi itaque eventus voto non reſpondet, mors parturientis imputatur obſtetricantibus loco præmii odioſis affectis nominibus; an vero juſto titulo reprehendantur in caſu deſperato obſtetricantes, judicent alii; non iis, uti ex allatis caſibus ſatis apparet, ſed adſtantibus conſilium obſtetricantium quocunque modo reſpuentibus erit adſcribendum, ſi parturiens viribus fracta perdatur, quæ tamen peritioribus inter initia partus in conſilium adhibitis facillime ſervari potuiſſet.

§. XVI.

De ſectione cæſarea perdocte agit *Clariſ. CRANZIUS* §. XLV. Commentationis ſuæ, eamque in eo caſu, ubi ab initio laboris mala pelvis obſervatur conformatio, capitis trajiciendi, ob nimiam ejus molem, impoſſibilitas præſentitur, & vita foetus adhuc præſens indagatur, dum nulla plane a quibuscunque demum forcipibus ſperanda ſit ſalus, validis adhuc matris viribus, uncorum & perforatoriorum, cujuscunque demum naturæ fuerint,

(*) Conf. §. XVII. Diſſert. de Inſtrument. in arte, Clar. CRANZII pag. 23.

artificio recte cum Clariſ. *WINSLOVIO*, (*) præfert, in eandem quoque abiit ſententiam Facultas Medica Helmſtadienſis in laudato reſponſo ad Perilluſtrem Senatum Secretiorem Auguſtanum die 5. Aprilis dato:

Es möchte denn ſeyn, daß ſich bey vollkommenen ſichern Zeichen des noch übrigen Lebens des Kindes die Wöchnerin und deren Angehörigen zu der *Sectione cæſarea* verſtehen wollten, da dann ſolche, weil dabey die Erhaltung beyder Theile intendiret wird, der Application der ſcharffen Haacken zu præferiren iſt, wie dergleichen glücklich abgelauffene ganz neue Exempel in den Memoires der Franzöſiſchen Academie der Chirurgie, Tom. I. pag. 623. viel zu finden ſind.

Wäre aber das Kind tod, oder das Leben deſſelben ſehr gering, ſo würde alsdenn die vorſichtige Application der Haacken zu Erhaltung der Mutter allerdings lieber zu erwählen ſeyn.

Eadem cum præferentia de Sectione Cæſarea quoque judicat lex obſtetricibus a Senatu Kauffbyrenſi data 1737. impreſſa, vulgo *Hebammen-Ordnung* vocata pag. 29.:

Auch giebet eine ſolche Begebenheit und Anmerckung einem Medico Anlaß nachzudencken, in wie fern es rathſam, und was zu beobachten ſeye, wenn man es wagen wollte, bey einer Schwangern lebendigen Leib den Kayſer-Schnitt vorzunehmen, da man unter andern, laut Tentzels monatlichen Unterredungen, ein eclatantes Exempel von einem Schwediſchen Medico, *Olaus Rudbeck*, weißt, welcher ſeiner Ehegattin bey ihrem Leben das Kind aus ihrem Leib geſchnitten, und durch dieſes Erſtaunens-würdige Unternehmen beede Mutter und Kind bey Leben erhalten hat.

Mortuo itaque foetu perforatoria uncis & forcipibus per bene præfert. Clar. CRANZIUS, §. XLVII. Commentationis ſuæ; „Quid vero in ſecundo „caſu, ubi, præſente mala pelvis conformatione nec capitis moles trajici, nec „forceps auxilio eſſe poteſt, inſuperque infans jam mortuus eſt, remedio ſit, „alibi monui, & forcipibus & uncis tunc perforatoria aptiora ſtatui.„

Hanc ſententiam experientia edoctus quoque ſubſcribo.

§. XVII.

Circa cæteros operationis cæſareæ caſus, Clar. CRANZIUS inauditam fovet opinionem aſſerendo, eam in caſu dubio hac ex ratione non eſſe inſti-

(*) Vid. CRANZII Commentar. de rupto in partus doloribus à foetu utero §. XXI. & ſequent.

ſtituendam, quod multis in caſibus ſuſcepta, directa intentione occidatur mater, ut ſervetur foetus, quod licet non velit, accidere tamen quatuor rationibus §. XLVIII. commentationis inſertis probare annititur, utilitatem ſectionis cæſareæ non adeo ſolidam & veram eſſe §. XLIX. præſtruit, & tandem §. L. ſic concludit:

„1.) In caſu deſperato, ubi partus arte opitulante per vias naturales „abſolvi adhuc poteſt, exhauſtis matris viribus operationem cæſaream non „eſſe ſuſcipiendam.

„2.) Etiam in initio partus, ſi contraindicantia graviora ſint indicantibus, ſine determinato homicidio illam non eſſe admittendam; qualis „caſus eſſet, ubi ex pulmonum gravi ulcere tabida jam & morbo fracta parturiens, concurrente ſimul mala conformatione pelvis, incaſſum laborat, „& partus per viam ordinariam a natura excluſio ſperari non poteſt. Tunc „enim ſtricte concludendum eſſe exiſtimo, quod, ſi non licet, inſontem vivum foetum inſtrumentis tentare, ut ſalvetur mater, etiam non liceat inſontis matris, viribus fractæ, mortem operatione accelerare ut ſalvetur „foetus, quod & in caſu hæredis imperii verum eſt.

„3.) A morte infantis, partu tantum per vias naturales mediante diſſectione poſſibili, operationem cæſaream contraindicari, & nunquam ſine „certis vitæ ſignis ſuſcipiendam eſſe, unde cæco impetu, ſine artis præceptis „illam a Dn. la Roche ſuſceptam affirmo.

„4.) Eadem acta poſt Dn. du Bois, Doctoris Pariſini defenſam theſin, non ſatis prudenter ſectionem ſuadere in conceptionibus abdominalibus, tum ex metu infelicis placentæ adhæſionis, tum ex incertitudine „ſignorum talium conceptionum, quam etiam in caſu Cypriani invenio, „licet confidenter in hoc recte illam inſtitui potuiſſe ex rei eventu afferant, „qua in re ut cum Diis conſilia communicarent, neceſſe non habuere, quod „ubique terrarum & ipſæ vetulæ eventis conſilia facile ad aptent. Sed vellem tantum in caſu tali conſtitutos videre viros, & compotem ſui cognoſcere, qui in ſuum diſcrimen, inque propriam vitam rem iſtam ſuſcipiat; „experimentum enim facili poteſt inſtitui negotio, ubi temeritatem nulla „poena ſequitur. Ceterum de his omnibus legi meretur Doctis. Levreti *de operatione cæſarea*, exigua, at nervoſa & vera *commentatio*. (*)

§. XVIII.

(*) „*Suite des obſervations Artic. IX.*

„Dolendum ſane eſt, illi hujus argumenti materiam non fuiſſe commiſſam, elaboraſſet „ſane verius & prudentius, & hodie intelligeremus plura, quæ diu forſitan in abſcondito latebunt.

§. XVIII.

Specioſas iſtas Cranzii circa ſectionem cæſaream rationes, una reſolvit plaga ſcholion Caſus III. Decad. VI. Obſervat. rarar. Medicinal. *Clariſ.* Philippi Hoechstetteri, olim collegii medici Auguſtani membri, medicisque primi ordinis adhuc cari; cujus hiſtoria ita ſe habet.

Caſus III.

Foetus mortuus a morte matris ſponte prodiens.

„Defecit in partu uxor balneatoris in laudatiſſimo urbis noſtræ balneo, „a qua viceſima ſeptima a morte hora cum ſonitu mortuus prodiit in„fans. Factum 31. Auguſti 1615.

„*Scholion*

„Exemplum rarum, ſimiles tamen leguntur hujus hiſtoriæ, apud „Schenkium. Non fuit cauſa motus violentus, quam jam quieta per 14. „ad minimum horas jacuerit more patrio ſuper aſſerem. Nec expultrix „matricis adſurrexit ad opus, defecit illa in vivente; nec infans ſe commo„vit, jam dudum mortuus, quod ex ſignis manifeſtum erat.

„Placet hiſtoriæ huic aliam ſubnectere, de foetu mortuo, & putrido „exciſo ex ventre matris vivæ, cujus hiſtoria Germanice depicta a Medico „Günzburgenſi, mihi oſtenſa fuit, dedit ſauciæ, nec adeo plane ſanæ, teſti„monii loco: ego latio ſic donavi.

„Ulmani fabri incolæ Leinheimenſis in Marchionatu Burgavienſi uxor, „nomine Barbara, gravida ſic benedicente Deo facta, nonum complevit „menſem, eo dolores parturientis ſenſit fuit is 26. Martii 1623., ſed invali„dos, nec labor parturientis, nec diligentia obſtetricantis quicquam pro„movit, manſit in utero quod enitendum erat. Nec ardentes preces, nec „ſuſpiria lachrymis conſperſa Deum expugnarunt, niſi quod anima foetus „ad ſe vocavit. Cadaver uterum in tumorem ſuſtulit, & abdomen turgeſce„re fecit, jacens in cavo transverſim. Octo tranſierunt ſeptimanæ, in qui„bus nil conaminis in excludendo moleſtum ſenſerit, nec dolores nec par„turientium nixum. Vires matris interim labefactatæ a foetu putrido & „foetente, hecticum corpus dederunt, ac ſi oſſa incluſa cuti eſſent. Adflicta „ſingultientibus votis mortem inclamavit, & ardenter efflagitavit.

„Conclamatis ſic & deploratis jam omnibus, miſericordia Dei eam „reſpexit, & Marchioniſſam Burgavienſem movit, ut ejus miſerta in Hoſpi-

„tale

„ tale reciperet Günzburgi, ut ibi excideretur putridum, quod matri necem „ minitaret. Duo igitur Chirurgi, conſilio ſubminiſtrante excellentiſſimo „ Domino Adamo Hebich, Medico clariſſimo Principis viduæ Marchioniſſæ „ in Günzburg, ventrem, infra umbilicum transverſim ad pubes verſus „ aperuerunt, in qua regione jam ſigna apertionis in ventre a putredine con- „ ſpiciebantur. Infans putridus & ſolum oſſibus, ac calvaria cognoſcendus „ exemptus fuit, locus vulneratus mundatus, conſutus & convenientibus „ medicamentis tractatus, & jam jam curatus, niſi quod ad conſolidandum „ reliquum, opus habeat, potius emplaſtris cicatriſantibus, quam manu me- „ dici. In feſto aſcenſionis Domini eo anno factum eſt; ſubſcripſerat me- „ dicus Adamus Hebich, & data erat Epiſtola 30. May 1623. Fuit nobiſ- „ cum hæc afflicta, viſa a plurimis, epiſtolam oſtendit, cujus deſcriptionem „ Latinam eſſe volui, traditi tibi amice Lector ea qua accepi fide. Rouſeti „ tractatus & veram eſſe, & ſæpius accidiſſe, oſtendet, ſimulque docet ope- „ rationis modum.

§. XIX.

Ex propoſita partus hiſtoria clare eluceſcit, propoſitionem I. §. I. Commentationis *Clar.* Cranzii non eſſe univerſalem, nam operatio ſuſcepta fuit in caſu deſperato, ubi partus arte opitulante per vias naturales abſolvi adhuc potuiſſet, exhauſtis matris viribus, cum ejus ſalute.

Nec favet IIdæ propoſitioni, nam ſuſcepta fuit, ubi contraindicantia graviora fuerunt indicantibus; nec ratio apparet, cur utrumque fato ſuo relinquendam ſit; certe ſententia Winslovii inter Theologos & Juris-conſultos difficultatibus haud carens, in hoc caſu nihil probat, barbarum, inhumanum & crudele plurimis videtur, foetum una cum matre, ea ex cauſa certæ tradere morti, ne inſontis matris, viribus fractæ, mors operatione acceleretur; quis enim non intelligit, Clariſ. Cranzium precarie ſumere matri diuturnitate laborum partus viribus fractæ, cum ferro mortem in abdomen immitti, eamque ſuſcepta operatione cæſarea directa intentione occidi; nonne falſitatem hujus propoſitionis caſus allatus abunde probat, homicidiumque a Cranzio imaginatum tollit; taceam vulnera abdominis, Kelotomiam, ſanguinisque extravaſati in cavo abdominis hærentis, vulnere abdomini inflicto eductionem, tanquam totidem teſtimonia, muſculos abdominis & peritonæum ſine vitæ periculo lædi. Ad hujus aſſerti veritatem confirmandam verba §. XLI. ut & §. XLII. Commentar. de rupto in partus doloribus a foetu utero *Clar.* Cranzii adducam: „In ventrem autem ef- „ fuſum ſanguinem minus evocare valet, unde in id dein operam dare debet

„obſtetricans, ut in latus quo uterus perruptus eſt, ægra inclinetur, quo is „facilius exitum (g) dein inveniat. §. XLII. Seu vero in abdomen, effu- „ſus ſanguis, ſi ſit, hianti vulneri non occurrat, ſeu conſtrictum vulnus, „quo minus extus feratur, impediat, ſcire poſſe (h) in primo caſu lotionem „in uterum, quæ & in abdomen efferatur, ſine periculo conjici (i) in utro- „que novo abdomini inciſo vulnere effuſa feliciter evocari (k) atque hoc „unicum in arte auxilium eſt, ſi mulierem ſervare intentio; quæ vero ab- „dominis incidenda ſedes? Quibus ſignis ſanguinis in abdomine cognoſca- „tur extravaſatio, ita exacte in modo laudatis Actis ab immortalibus viris „deſcriptum eſt, ut addi nihil poteſt.

3.) A morte infantis, partu tantum per vias naturales mediante diſ- ſectione poſſibili contraindicari operationem cæſaream libenter affirmo; eam vero nunquam ſine certio vitæ foetus ſignis ſuſcipiendam eſſe valde du- bito; ſigna enim vitalitatis foetus tam incerta eſſe, ut ſæpius ferendo in ju- dicio hæſitent exercitatiſſimi, agnovit CRANZIUS §. IV. & §. XLVIII. Commentationis ſuæ his verbis:

„Accedit huc, quod aſſentiente ipſo WINSLOVIO, maximam par- „tem incerta ſint, & fallacia, quæ communiter proponi ſolent, dijudicatio- „nis (vitæ vel mortis) in utero judicia:„ Male itaque ex abſentia ſignorum vitalitatis, foetum vita & S. Baptismate privamus; nec adeo Dn. *de la RO- CHE* in ſuſcepta operatione cæſarea artis præcepta neglexiſſe, exinde ap- paret, quia ancipiti remedio ſalvavit foetum, una cum matre pereundum, & in tali caſu ſemper melius eſſe anceps experiri remedium quam nullum, etiam lippis notum eſt.

4.) Se-

(g) „Nunquam ſatis laudavero immortales obſervationes PETITI filii & GARENGEOTTI „in *Mem. Acad.* Chirurg. quibus convincunt favente anatome, liquidum quod- „cunque ſeu per rupturam, ſeu per vulnus extravaſatum in abdomine, ad anteriorem „inferioremque ventris partem agi, cogi, inter inteſtina nihil recipi, Mechaniſmo „illis primum & feliciter explicato, vide *Eſſais ſur les epanchemens* Mem. de „l'Acad. Tom. I. pag. 237. *Suite* Tom. 2. pag. 92. *ſur le même ſujet par Mr.* „GARENGEOT. pag. 115.

(h) „Ut in eisdem Actis confirmant evidenter obſervationes modo laudatorum virorum.

(i) „Tum ut concretus in illo ſanguis diluatur, & dein facilius per uteri rupturam effera- „tur, tum quia in abdomen datalotio reſorberi poteſt, ut docuere experimenta ana- „tomica, tum quia, licet non reſorberetur, facile effluere poſſet cum ſanguine, in „cujus gratia novum vulnus fieri debet.

(k) „Uti id evidenter convincit obſervatio D. VACHER. Hiſt. de l'Acad. de Chirurg. „Tom. 2. pag. LXXXVIII.

4.) Sectionem cæſaream in conceptionibus abdominalibus, tum ex metu infelicis placentæ adhæſionis, tum ex incertitudine ſignorum talium conceptionum non ſatis prudenter ſuaderi, facile concedo, eam vero in caſu dubio, matre efflagitante, nec ſatis prudenter negligi exiſtimo; quis enim ignorat, extremis malis extrema opponenda eſſe remedia; neminem autem in ſuum diſcrimen, inque propriam vitam, iſtam rem ſuſcepturum eſſe, facillime largior; interim ſi hoc experimentum ad unius vel alterius ſalutem debita inſtituatur attentione, nec temeritatem vocari, nec poenam hoc ſequi poſſe vel debere luculenter apparet; certe, ſi operationes chirurgicæ difficilioris executionis, e. g. amputationes, Lithotomia, trepanatio, extractio humoris cryſtallini, & quæ talia, in diſcrimen, propriamque vitam facientis inſtitui deberent, ægrotantibus male inde conſuletur; notum enim eſt, omnes operationes chirurgicas nullo alio inſtitui intento, niſi ad ſanitatem amiſſam recuperandam vel præſentem conſervandam, ſi itaque exitus operationis debito modo peractæ, voto non reſpondeat, quis inde operatori, fundamentis artis imbuto, poenam infliget; medicum & chirurgos Burgavienſes vero obſectionem cæſaream contra artis præcepta inſtitutam, nullo modo taxandos eſſe, quis dubitet; ſalvarunt enim matrem alias ſecundum præcepta CRANZII perituram.

§. XX.

Ex rationibus §. præcedenti allatis luce meridiana clarius apparet, Clar. CRANZIUM ſalutem methodi *Winslovianæ*, ſaluti matris & prolis præferre, pereant ambo, modo ſalvum ſit ſyſtema WINSLOVII; certe in hoc caſu ipſiſſima verba CRANZII §. XLIV. pag. 47. Commentationis ſuæ contra proprium valent autorem:

„Jam vero quam jejunas contra forcipum uſum rationes everterim, „patet, ipſam propoſitionem, qua excerebratoria inſtrumenta tanquam ar„tis gravioris proficua media deprædicat, & forcipibus præfert, ex integro „collabi, ſuper hac re judicium artis Magiſtrorum poſco, meritoque dubi„to, vix ullum eſſe, qui non his forcipes anteponat, & doctrinam ROE„DERERI non ſolum contra religionem, omne ſacrum & profanum, ſed & „contra ipſam humanitatem militare, ſcripto, ſi opus eſt, ſignet.

Porro pag. 48. ſic mentem aperit:

„IV. Denique in ſimilia præcepta artis magiſtros non ſatis ſevere ani„madvertere poſſe, Magiſtratuum autem curam eo directam eſſe debere, „ut talia præcaveantur facinora „

Dura ſane ſunt verba, quis ea ſine commotione animi legat; merito ſic concludo: ſi doctrina ROEDERERI forcipibus perforatoria antepo-nens, infantemque nonniſi ex ignorantia invincibili occidens, eique, ſi ad-huc vivit, S. S. baptiſmatis procurans, non ſolum contra religionem, omne ſacrum & profanum, ſed & contra ipſam humanitatem militet, multo magis doctrina CRANZII, vel ſonticum WINSLOVII ſyſtema, utrumque ſuo fato relinquens, matrem & prolem inſontem certæ morti tradens, eumque S. S. baptiſmatis præmeditate privans, omnibus bonis execranda erit; quis enim dubitet, in talia præcepta non ſatis ſevere animadvertere poſſe artis magi-ſtros, *Magiſtratuumque cura eo directam eſſe debere, ut talia præcaveantur facinora.*

§. XXI.

Operationem cæſaream Günzburgi 1623. in feſto aſcenſionis Domini inſtitutam, contra regulas artis ſuſceptam fuiſſe, ex eo ducet, quod fractis jam parturientis viribus, nulla encheireſi ſive verſione prius tentata, neque mediante diſſectione infantem mortuum per vias naturales extrahere ſtuduerint, ſed ad ſectionem properaverint chirurgi & medicus, uterum vero apertum fuiſſe, foetor foetus putridi luculenter probat; manui itaque ad foetum transverſim in utero jacentem extrahendum aditum patuiſſe nemo dubitat. (*) Documentum nobis eſt tam caſus Scholii, quam caſus uxoris balneatoris una cum foetu mortuæ, medicos & chirurgos tunc temporis ar-tem obſtetriciam plenarie neglexiſſe; quis enim artis peritorum non ſub-ſcribet, uxorem hanc vel manu vel applicatione inſtrumentorum facile ſal-vari potuiſſe; miſerandam ſane in hac regione parturientium conditionem fuiſſe; epithaphia in templis, monumenta in cæmeteriis, ſermones funebra-les impreſſæ abunde probant, non una ſed plures confirmant inſcriptiones: *Matrem una cum prole in partu defeciſſe, & contra legem Regiam cum eo ſe-pultam eſſe.* Cum experientia teſte, opinio interdum veritate fortior ſit, & quod alte hæret non ſemel evellatur, ſed ſubinde labefactandum, ut tandem ſequatur trahentis manum; quid mirum, neglecta ſolida Hippocratis doctri-na, Chirurgiaque à Medicis ſpagyrica & Galenica ſectantibus ad perniciem ægrotantium rejecta, errorem hunc præjudicio autoritatis munitum, ad no-ſtra quoque perveniſſe tempora.

§. XXII.

Controverſia de applicandis in partu p. n. inſtrumentis mihi mota; con-

(*) Confer, Caſus XXII. ſcripti mei idiomate germanic. edit.

concertationes de Hæmorrhagia a ſeparatione placentæ ab utero ortæ, non verſione, ſed medicamentis ſananda, rejectio ſectionis cæſareæ matre vivente plenaria, indubitata ſunt ſigna, non omnes medicos veritatem *Methodo Hippocratica* quærere; quis enim ignorat, nonnullos etiam Germaniæ noſtræ medicos, ad exemplum Chirurgorum Academiæ Pariſienſis pervicaciter negaſſe, nec placentam uteri orificio, nec chorion utero unquam adhærere, (*) hæmorrhagiam immodicam ſeparatione placentæ ab utero ortam, pulvere ſympathetico & vino Granatorum ſiſtendam, foetumque transverſim in cavo uteri ſitum, pilulis & pulveribus expellendum eſſe, pro focis & aris affirm ſſe. Gravia ſane, ſed ad hunc locum quadrantia ſunt verba beati PHILIPPI HOECHSTETTERI. (**)

„Technæ ſunt magni mortalitatis generis hoſtis Cacodemonis, qui „inimicitias, æmulationes & odia in familiam ſeminat medicam, ne ſalus & „ſanitas, cujus procurator eſſe debet, homini accederet ſine invidia. Ipſa „inter ſe discors cum livore examinat omnium actiones; neſcio qua criſta „deſpicit antiquorum præcepta, vetuſtatem accuſat, ſuæ artis documenta „vilipendit, nova ſuſcipit, inexperta adorat, ſuſpecta præſcribit remedia, & „cum morte plurium ſuas facit experientias.„

Veritatem hujus aſſerti proh dolor exempla affirmant ſequentia.

Caſus XIII.

Verſio fruſtra tentata
Diſſectio colli foetus vivi.

Regina annum trigeſimum primum agens, furtivo amore imprægnata, 1755. die 24. Julii doloribus ad partum componitur, ruptis inter duodecimam & horam pomeridianam primam membranis, effluxis aquis, foetuque brachio dextro pelvim ingreſſo, obſtetrix ad ſalvandam matrem & prolem, inter horam ſecundam & tertiam pomeridianam meum imploravit auxilium; vivum inveni foetum digitis ſuis digitum meum fortiter prementem; verſionem tanquam indicatiſſimum remedium tentare decrevi; primipara debito modo in lecta diſpoſita, manum ſiniſtram magno cum parturientis cruciatu in uterum patulum immiſi, foetumque ſupinum in eo ſitum, capite verſus concavitatem oſſis ilei dextri, pedibus vero ad ſiniſtrum matris latus pronum inveni; digitis itaque meis genu ſiniſtro applicatis pedem

(*) Vid. Comment. clar. CRANZII de inſtrum. in arte obſtetr. pag. 36. lit. z.
(**) In Præfatione obſervation. medicin. rarar.

ſiniſtrum verſus abdomen foetus flectere & ad me trahere, inutili allaboravi opera; pelvis ab exoſtoſi in ſymphyſi oſſium pubis, ut & in ſymphyſi oſſis ſacri cum ultima lumborum vertebra, anguſtata & compreſſa, dubiam mihi reddidit verſionem; experientia enim edoctus, corpuſculo foetus multis parturientis doloribus, verſione extracto, caput nimis magnum per pelvim male conformatam non niſi difficillime trajici, & fruſtra encheireſibus adhibitis, tandem inſtrumentis non ſemper cum ſalute matris extrahi; in re tam dubia conſilium imploravi Doctiſ. atque Experientiſ. D. D. JOHANNIS ULDARICI SCHMIDII b. m. practici hujus urbis famigeratiſſimi, ut & Doctiſ. atque Experientiſ. D. D. GEORGII FRIDERICI GUTERMANNI, Reipublicæ Auguſtanæ Phyſici ordinarii, Academiæque Naturæ curioſorum ſodalis, Fautoris atque Collegæ perquam venerandi, quorum primus aliis impeditus negotiis non apparuit, ultimo ſitum foetus, malam pelvis conformationem, nec non verſionem aperui contraindicatam; ad foetum una cum matre ſalvandum, integris adhuc matris viribus D. D. GUTERMANNUS in hoc caſu indicatiſſimam propoſuit Sectionem Cæſaream, quam vero lege Periluſtris ſenatus prohibitam ſuſcipere nolui; exitu enim operationis voto non reſpondente, ob inſtrumentorum in partu p. n. applicationem in arena adhuc conſtitutus, malevolorumque invidia jam in diſcrimen vitæ, famæ & bonorum adductus, magnas mihi ex aliorum miſeriis demenſus fuiſſem calamitates; itaque conſenſu D. D. GUTERMANNI, diſſectionem foetus viventis prætuli ſectioni cæſareæ. Parturiente ſacris imbuta, inter horam ſextam & ſeptimam collo foetus uncino ſcindente diſſecto, eum cum brachio extra vaginam pendentem extrahere allaboravi, ſeparatione vero brachii ab ejus corpuſculo, vulnereque pollici ſiniſtro durante colli ſectione inflicto impeditus, ad foetum tanta velocitate ex utero trahendum, quanta requirebatur ad hæmorrhagiam ſiſtendam a ſeparatione placentæ ortam, & jam per tres horas duratam, parturiens ob ſanguinis jacturam obiit inter horam ſeptimam & octavam veſpertinam.

Die 25. Julii præſente D. D. GUTERMANNO abdomen & uterum aperui, foetum diſſectum, placentam quoad maximam circumferentiæ ſuæ partem, ab utero ſeparatam, exoſtoſes in ſymphyſi oſſium pubis oſſisque ſacri, ut & vaginam applicatione manus ſugillatam invenimus. Hæmorrhagia a ſeparatione placentæ ab utero orta, clamore & ejulatu parturientis aucta, lethale fuit ſymptoma, nonniſi ſubitanea foetus extractione tollendum; operatione cæſarea adhuc ſalvanda fuiſſet parturiens verſione & applicatione inſtrumentorum fruſtra vexata.

Ex hoc caſu apparet a) verſionem foetus non in omni caſu cum ſalute adhiberi poſſe.

b) Caſus in arte obſtetricia exiſtere, ubi neceſſaria crudelitate infans vivus inſtrumentis extrahi debeat.

c) Sectionem cæſaream in mala conformatione pelvis, ad ſalvandam matrem cum prole, verſioni & inſtrumentis præferendam eſſe.

Caſus XIV.

Parturiens orthopnæa laborans,
Protracta operatione cæſarea una
cum foetu mortua.

Eliſabetha Oberdorfferin tertia vice ad partum compoſita, 1756. die 11. Martii vehementi corripiebatur Orthopnæa, de momento in momentum ſuffocationem illi minitantem; hora octava matutina vocatus, parturientem ſellæ obſtetriciæ ſine pulſu & reſpiratione mortuæ inſtar inſedentem inveni; tandem agitatione corporis, ſpirituoſis naribus admotis ad ſe redientem, ſacris provideri curavi; medicamentis reſpirationem facilitantibus adhibitis melius ſe habere coepit; hora prima pomeridiana novo OrthopnϾ inſultu correpta, denuo vocatus parturientem in lecto erecto corpore ſedentem vidi, ad ſe rediens complicatis a me petiit manibus, ut ad ſalvandum prolem, matre adhuc vivente ſectionem inſtituam cæſaream; hanc operationem reſponſo Facultatis medicæ Helmſtadienſis quidem propoſitam, a Perilluſtri Senatu vero nondum permiſſam, ſine aliorum conſilio ſuſcipere nolui, Medicosque conventui obſtetricum trimeſtrali, tunc temporis præſentes vocari rogavi, iis vero hora cum dimidia non accedentibus, ſine illorum conſilio parturientis convulſionibus correptæ, & in agone conſtitutæ abdomen una cum utero ſecavi, filiolamque ante horæ ſpatium adhuc ſeſe moventem, protractione ſectionis vero mortuam extraxi, quam parturiens peracta ſectione ſtatim inſecuta eſt. Verſionem denegabat Orthopnoea, & metus ſuffocationis corpore reclinato; verſionem vero in hoc caſu non ſemper ſalutarem eſſe, me docuit uxor fabri murarii, 1757. die 9. Maji unum gemellorum vivum enixa, altero membranis adhuc incluſo & perverſe in utero hærente aſthmate convulſivo correpta, ad conſilium vocatus verſione ei propoſita mihi regeſſit, *ſe certe corpore inclinato morituram eſſe*, dictum, factum, verſione corpore tantisper inclinato ultra quinque minutorum horæ ſpatium vix durante, convulſionibus denuo correpta mortua

tua eſt parturiens; gemellus vivus extractus & baptizatus intra horæ ſpatium quoque matrem inſecutus fuit.

Contraindicantia in his caſibus indicantibus graviora fuerunt; quis vero juſto titulo mortem matris operationi cæſareæ vel verſioni tribuet; vulnera muſculorum abdominis & Peritonæi lethalia non eſſe §. XVI. jam monui, corruit ergo propoſitio II. §. L. commentationis Clar. CRANZII.

§. XXIII.

Caſus ſequentes documentum præbent ignorantiæ & moroſitatis quarundam obſtetricum.

Caſus XV.

Foetus occipite & nucha pelvim ingreſſus, fruſtra adhibita operatione cæſarea una cum matre extinctus.

Urſula, incola pagi Hausſtetten, annum vigeſimum quintum agens, furtivo amore imprægnata, 1756. a die Martii 3. usque ad 6. fruſtranea Lucinæ invocatione ad extrema redacta, jam omnibus conclamatis, matris conſilio accerſitus, parturientem ultimum agentem Spiritum inveni; ad ſalvandum prolem, eique S. S. baptismatis procurandum, abdomen ſecui parturientis, foetumque mortuum, parte occipitis inferiore ad lineam lateris, dextri ſymphyſi oſſis ilei, pubis & iſchii formatam, appreſſum, mento adpectus inclinato, nucha vero aperturæ pelvis applicata, brachio dextro verſus os pubis, ſiniſtro vero ab ultimam lumborum vertebram & os ſacrum ſitum inveni; integumenta occipitis margini pelvis appreſſa, una cum utero ſubjacenti ſphacelo correpta, odoremque cadaveroſum ſpirantia tetigi; figura capitis ſphæroidea, vehementia dolorum ad partus in triangularem mutata fuit; viſcera abdominis bene conſtituta vidi; per totum graviditatis tempus bene valuit parturiens; quis enim dubitet, eam ignorantia periiſſe obſtetricis, partum hunc pro naturali reputantis, ſola pigritia & negligentia parturientis verberibus excitandæ, retardatum, perfricta fronte aſſerentis, miſeranda ſane fuit conditio parturientis, per trium dierum decurſum doloribus ad partum debilitatæ, confortantium & cordialium loco pugnis conciſæ, certæque morti una cum prole ſtudio & opera obſtetricis traditæ; quando diſcant denique obſtetrices vitam vivere homini dignam; *nonne Magiſtratuum cura eo directa eſſe debet, ut talia præcaveantur facinora.*

Foetum occipite & nucha pelvim ingreſſum, brachiis ad oſſa pubis & ver-

vertebras lumborum matris verſis, mentoque ad pectus inclinatum, forcipe Anglicana nullo modo extrahi, uſus me docuit; applicatis enim ambabus forcipis laminis capiti in pelvi in tantum ſed non in totum hærenti fortius ad pectus foetus apprimitur, collum magis adhuc incurvatum, partum impedit; idem evenit applicatione unius forcipis laminæ; neque perforatorium in hoc caſu certum eſſe auxilium eo patet, quia capiti nondum incuneato nonniſi difficillime ob duritiem oſſis occipitis applicatur; optime itaque diſſecatur uncino ſcindenti collum incurvatum, illo enim diſſecto brachium ad ultimam oſſis ſacri vertebram hærens manu facile ſolvitur, & cum illo corpus foetus extrahitur, quod tandem caput & placenta vel manu vel uncino ſequuntur.

Forceps *Levreti* tribrachialis in hoc caſu ab autore ſuo tanquam indicatiſſima deprædicatur, an vero in caſu inveterato ea adhiberi queat facilitate, uti ab autore deſcribitur, ulteriori relinquendum erit experientiæ.

Caſus XVI.

Gemellæ adhuc vivæ moroſitate obſtetricum una cum matre hæmorrhagia uteri pereunt.

Uxor ſartoris ſeptem liberorum læta mater, quadrageſimum ſeptimum agens annum, 1757. die 30. Auguſti, ad octavum compoſita partum, hæmorrhagia uteri corripiebatur, cui obſtetrix accerſita remedia domeſtica opponebat; hæmorrhagia per totum noctis decurſum durante, tempore diluculi jam in conſilium vocatus Doctis. atque Experientis. D.D. Godofredus Cristell, Collega meus perquam colendus, temperantia confortantibus mixta præſcripſit, eorum uſu vero hæmorrhagia non ceſſante, hora decima matutina denuo *D. D.* Cristell vocatus obſtetrici ſuaſit, ut meum adeat conſilium; obſtetrix propoſitionem medici rejiciens, aliam vocavit obſtetricem, ad horam ſeptimam veſpertinam usque varia moliendo, hæmorrhagiam uteri non imminuentem; hora itaque ſeptima veſpertina contra voluntatem obſtetricum vocatus, parturientem in deplorato inveni ſtatu, ſanguinis jactura manus, facies & pedes gelido circumfuſi erant ſudore, pulſus rarus, intermittens, lipothymiæ frequentes, nihil moderabile præſagiebant; ſitu foetus tactu explorato, orificium uteri patulum, in illo vero præter placentam ab utero ſolutam nihil tetigi; rebus ſic conſtitutis in conſilium vocari *D. D.* Cristell petii, ejusque præſentia obſtetricibus indicavi, ut ipſæ tactus beneficio ſitum infantis nobis indicent; quarum prima falſe retulit, *ſe caput foetus tangere*, altera vero dixit: *orificium uteri nimis alte*

adhuc hærere, idque digitis ſuis attingere non valere, cui reſponſi: ſe non debite digitos applicaſſe; digito ſuo ad os ſacrum verſo, ſe certe orificium uteri patulum tacturam eſſe; hacce encheireſi applicata nobis reſpondebat: ſe orificium uteri patulum una cum corpore ſquamoſo ei inhærenti tetigiſſe; aliena igitur & propria convictus experientia, cauſam hæmorrhagiæ eſſe adhæſionem perverſam placentæ circa orificium uteri, doloribus ad partu & proprio foetus pondere ab illo ſeparatæ, ad ſalvandam matrem & prolem, quem adhuc vivere manu mea abdomini matris impoſita, calcitratione pedum foetus certus fui, verſionem tanquam indicatiſſimum ad ſiſtendam hæmorrhagiam propoſui remedium, cui quoque ſubſcribebat *D. D.* Cristell; ſacris cum imbui efflagitabat parturiens, domum me contuli; inter horam nonam & decimam veſpertinam iterum vocatus, eam asphyxia laborantem inveni; in hoc ſtatu conſultius duxi, hanc quæ ſervari non potuit, non attingere, ne occidiſſe videar, quam ſors interemit; ad januam reverſum me reduxit parturiens denuo loquens, verſionemque prolis una cum *D. D* Cristell conſentiens; ruptis igitur membranis, primam atque ſecundam manu extraxi puellam mortuam; ambas vero proprii & materni ſanguinis effuſione, una cum matre vitam amiſiſſe, clare docebat funiculus umbilicalis in utraque flaccidus, ſanguineque deſtitutus; placentas circa orificium uteri adnatas manu extraxi; parturiens per totum operationis decurſum, vix per decem horæ minuta durantis, ſibi tota conſtabat, novo asphyxiæ inſultu iterum correpta, diem obiit ſupremum.

Execranda ſane obſtetricum moroſitas, matrem cum gemellis certæ tradens morti; conſilium medici reſpuentes, ſuo autem ingenio, ut ut parturientibus exitiali, ſuisque tenebricoſis præjudiciis frui malunt, quam ſanis doctrinis corrigi ſibi ſufficiens hominum genus; recte igitur de hoc genere judicat Clariſ. Roederer pag. 83. Obſervation. medicar. de partu laborioſo:

„Qui obſtetricando etiam medicinam faciunt, triſtem palinodiam de „plerarumque obſtetricum imperitia canere coguntur: quorſum etiam, „quis enim cuncta ſpecimina dixerit? plebejam iſtam expeditionis & officii „gloriolam præ reliquis referas inde ad niſus edendos, dolores licet partum „non faciant, ſed præſagiant, incitamenta, operoſæ & moleſtæ ad os uteri „& ſinum, præter omnem neceſſitatem & uſum, manus violentæ ſecundarum, cum ſanguinis animæque profuſione, eruptiones, aliaque Vae! quot „matres immolantur.

Documentum etiam nobis eſt hic partus, hæmorrhagiam uteri a ſeparatione placentæ ab utero ortam raro medicamentis, tutius manu chirurgica

gica tolli; veritatem hujus propoſitionis probe agnovit beatus FRIDERICUS HOFFMANNUS (*), ut & D. D. GUTERMANNUS (**), quos inter alios nominare ſufficit.

§. XXIV.

Cum ex caſibus §. XIX. & XX. allatis lucide appareat, medicamenta in partu p. n. raro eſſe ſalutifera, imo judicio Clar. ROEDERERI & CRANZII honeſte mortifera, ingenii figmenta atque credulitatis ludibria audiant, res nonniſi manu chirurgica perficienda ſit; imperitia & moroſitate nonnullarum obſtetricum ubique nota, caveant ſibi medici, ne in tali caſu neque medicamentis neque obſtetricibus nimis fidant, conſcientiæ propriæ, & ſaluti matris una cum prole melius conſulentes, ſi *ab initio partus laborioſi* obſtetricando medicinam facientes in conſilium advocent, illisque tanquam in arte peritis, qui recte monente *Clar.* CRANZIO Comment. ſuæ §. XLVIII. & LIII. *in caſu deſperato ita ſe gerere debent, ut Deo & ſibi ſatisfaciant, nec certas hic illis præſcribi poſſe leges*, ſalutem prolis matrisque manu vel in-

(*) FRID. HOFFMAN. Opuſcul. Patholog. Pract. Decad. II. Diſſert. III. *de ignorata uteri ſtructura multorum in medicina errorum fonte*, ita ſonant verba:

Quare ſi ejusmodi in caſu matrem ſervare, & funeſtum vitalis liquoris profluvium compeſcere animus eſt, nihil certe conſilii ſupereſt, quam ut foetus mortuus aut chirurgico miniſterio prompte extrahatur, aut abortus medica arte tempeſtive procuretur.

(**) De hæmorrhagia uteri ita judicat *D. D. Georg Friderich Gutermann* in der Nachricht ſeiner balſamiſchen Pillen, pag. 27. Dieſes Flieſſen hält wieder inn, kommt aber wieder, und zwar im achten Monat ſtärcker als im ſiebenden, und im neunten noch ſtärcker als im achten. An einer ſolchen Begebniß iſt ein ganz beſonderer Umſtand die einzige und wahre Urſache, deren kein Medicus abhelffen kan, er mag inn- und äuſſerlich gebrauchen und rathen was er immer will, wohl aber ein Accoucheur oder eine wohl unterrichtete Hebamme. Nemlich es hat ſich der Mutter-Kuchen oder die Nachgeburt nicht, wie es ſonſten zu ſeyn pfleget, im obern Theil, fundus uteri, der Grund der Mutter genannt, ſondern im untern Theil der Mutter oberhalb des innern Mutter-Mundes, oder doch gar nahe an demſelben angehänget. Weilen nun in den letztern Monaten derſelbe ſich erweitert, ſo wird dardurch ein Theil der Nachgeburt abgelöſet, folglich die Fibren und gröſſern und kleinern Aederlein, womit ſie an der Mutter anhängt, zerriſſen; entſtehet alſo ein Flieſſen des ſchönſten hellen Geblütes, deme man auf keine andere Weiſe, als mit Herausholung des Kindes, helffen kan, widrigenfalls müßte Mutter und Kind, um des unaufhörlichen und auf keine Weiſe zu ſtillenden Verblutens willen, darüber das Leben laſſen.

inſtrumentis ſervandæ omnimode relinquant; certe, methodo hac adhibita non pauci innocentium ſalvabuntur.

§. XXV.

Ex hactenus deductis abunde apparet, praxin meam a praxi *Clariſ.* CRANZII, aliorumque in arte peritorum nullo modo differre; documentum hujus aſſerti præbet laudatæ Commentationis ſuæ §. LII. LIII. LIV. LV. & LVI. quos jam §. IX. hujus Diſſert. ex parte tetigi, eosque hic tranſcribere locus non permittit, ad eos itaque lectorem remittens, §. LVI. tanquam antecedentium ſummarium abducam.

„Ex his omnibus rite conſideratis luce meridiana clarius patet, male „damnatum fuiſſe in arte inſtrumentorum uſum, multis in caſibus perquam „neceſſarium; limitatam vero a nobis recte fuiſſe diverſorum applicationem; „denique forcipis *Levretianæ curvæ*, fore & *Roonhuyſianæ* perpetuum, in „caſibus indicatis, & præeminentem eſſe debere uſum, uncorum autem & „perforatoriorum, nonniſi in deſperatis, perrarum admodumque circum-„ſpectum, quod ut eveniat, ex animo opto.„

Clariſ. autor recte itaque ſtabilivit in arte inſtrumentorum uſum, eorumque applicationem limitavit; forcipis uſum non in omnibus, ſed in caſu tantum indicatis præeminentem eſſe, uncorum autem & perforatoriorum non niſi in deſperatis adhiberi debere caſibus, maximo cum jure ſtatuit. Quod autem varia adhibuerim, vario cum ſucceſſu inſtrumenta, teſtantur obſervationes §. V. hujus Diſſertat.

Verſionem foetus non ſemper cum ſalute matris & prolis peragi, probatur obſervationibus §. VIII.

Forcipem non in omni partu laborioſo ſacram eſſe anchoram, caſus docent §. IX.

Uncinos & perforatoria me tantummodo in caſu deſperato adhibuiſſe, ex lectione duodecimi allatorum caſuum patebit.

De ſectione cæſarea non in totum rejicienda loquitur Caſus XIII. & XIV. §. XXII.

Imperitiam & moroſitatem obſtetricum nonnullarum evincit Caſus XV. & XVI. §. XXIII.

His omnibus probe conſideratis dilucide apparet, *Clariſ.* CRANZIUM nimis præcipitanter, neque viſo, neque lecto ſcripto meo, de praxi mea judicaſſe.

Ut vero uncorum & perforatoriorum uſum ad animi votum *Clariſ.* CRAN-


CRANZII, cui meum quoque ſubjungo, perrarum eveniat, *Magiſtratuum cura eo directa eſſe debet, ut medici atque obſtetrices AB INITIO PARTUS, obſtetricando medicinam facientes, tanquam peritiores in arte in conſilium advocent;* ſi ars hunc in modum exerceatur, non pauci inde ſervabuntur, qui aliis adhibitis certe pereunt. (*)

Faxit Deus, ut ſinguli praxin clinicam & obſtetriciam exercentes, omni æmulatione & livore depoſito, candide & diligenter inter ſe conferant, quæ ad ſalutem matris & prolis tendunt; ſi tali modo rem ſuam agant, tunc Numine benedicente, felicem laborum ſuorum indubitanter videbunt

F I N E M.

(*) Confer. FRID. HOFFM. Diſſert. de fato phyſico & medico, §. XXI. ubi mentem ſic explicat: *Denique, turpe quidem dictu, ſed veriſſimum eſt, Medicos, non quidem re ſed nomine tales, idiotas nempe, inter fatales mortis cauſas, eſſe recenſendos, quum haud a longinquo conquirenda ſint exempla, quæ abunde fidem faciant, multos ſane ex imperitia eorum, qui vitæ & ſanitatis cuſtodes eſſe volunt, ante præſtitutum tempus fato cedere, qui tamen peritioribus inter initia morbi in conſilium adhibitis ſervari, & ad ſanitatem reduci potuiſſent.*

In eandem quoque abit ſententiam D. D. GUTERMANN. conf. §. XXIII. (**) hujus Diſſertationis; exemplis vero hanc probant Clariſ. BOEHMER *Diſquiſitione de uſu & præſtantia forcipis Anglicanæ in partu difficili pag.* 145., ut & Clariſ. CRANZIUS *Commentario de rupto in partus doloribus a foetu utero pag.* 64. *& ſequent.*



Addenda.

Scripto *Clariſ.* LEVRETI *Suite des obſervations ſur les cauſes & les accidens de pluſieurs Accouchemens laborieux* appellato, impreſſione Diſſertationis meæ ad finem jam jam properante accepto, ſequentia ad praxin meam corroborandam atque defendendam addidi;

De utilitate atque præſtantia forcipis curvæ a *Clariſ. autore* inventæ, lectione articuli VI *de l'utilité de nouveau Forceps courbe* intitulati, plenarie convictus, quare illam merito omnibus adhuc cognitis cum *Clariſ.* LEVRETO præfero forcipibus; an vero foetus capite ad os pubis vel ilei facie ſupina jam per aliquod dierum ſpatium hærens, violentia dolorum ad partus intra oſſa pelvis incuneatus, adplicatione hujus forcipis aduci poſſit, animo tam diu fluctuo, donec experientia edoctus de ejus præſtantia melius judicare valebo.

Omnibus enim notum eſt practicis, in partu foetus capite ad os ilei vel pubis facie ſupina hærens inveterato, violentia ad partum dolorum collum incurvari, mentumque pectori quam fortiſſime apprimi, ita ut neque in uno, neque in altero caſu ſitus foetus violentia dolorum ad partus intra oſſa pelvis incuneati mutari poſſit; quam tamen ſitus mutationem manubus perficiendam *Clariſ.* LEVRETUS pag. 198. tractatus ſui his indicat verbis:

„3. Que lorsque la tête ſe preſente de coté ou obliquement, il eſt „avantageux, avant que de faire uſage de cet inſtrument, d'avoir fait changer la mauvaiſe ſituation des epaules de l'Enfant, & de lui en avoir fait „prendre une naturelle, ou au moins celle qui en approche le plus.

Verum enim vero univerſalitas hujus propoſitionis propria *Clariſ.* LEVRETI refutatur experientia, obſervatione vigeſima nona libelli ſui pag. 150. & 151. ſic judicantis:

„Lorsque je fus debaraſſé de cette tête, dont la luxations s'etoit fait „entre la premiere & la ſeconde vertebre du col, j'introduiſis une main „dans le vagin, & je reconnus en effet que je ne m'etois pas trompé, puis„qu'une des epaules de l'Enfant etoit arretée par le pubis, & l'autre par la „ſaillie de l'os ſacrum. J'aurois bien voulu pouvoir faire mettre la malade „ſur ſes genouils & ſur ſes coudes; mais quoiqu' elle n'eut pas eu de perte, „elle etoit trop foible pour pouvoir garder cette attitude. D'ailleur la ma„trice etoit ſi exactement appliquée ſur le corps de l'Enfant, que je ne pus „parvenir non ſeulement a introduire ma main aſſez avant pour aller cher„cher un des pieds, & pour retourner ce petit cadaver mutilé, mais qu'il

„me

„ me fut egalement impoſſible de repociſſer ni l'une, ni l'autre, pas même
„ de pouvoir paſſer aucun de mes doigts ſous ſes aiſelles;

Clariſ. enim LEVRETUS neceſſitate coactus unicino vaginato corpuſculum extraxit mortuum, parturientem ſalvavit inſimulque probavit, humeros intra oſſa pelvis incuneatos, capite a trunco ſoluto, vel cum eo conjuncto, manu difficillime, uncino vero admoto facile extrahi, nec minus feliciter exercuit praxin extrahendo caput a trunco ſeparatum, in uteroque relicto ſola manu, nulla forcipe adplicata, de qua re legi meretur pag. 342. & ſequentes ſæpius jam allegati ejus ſcripti; contrarium vero mihi occurrit, caput a trunco ſolutum nunquam, a trunco autem ſolvendum, vel in utero jam relictum ſæpius ſæpiusque vidi; confer. Caſ. V. VI. VII. & VIII. hujus Diſſertat.

Pari quoque cum ſucceſſu proportionem inter Diametrum pelvis atque capitis foetus ad praxin adplicavit, inſimulque demonſtravit foetum facie ad os ilei vel iſchii verſum facilius extrahi, & ſic vulgarem errorem, foetum facie ad os ſacram dirigentem, multorum adhuc medicorum obſtetricando medicinam facientium, ut & meum obſidentem animum feliciter detegit *Clar.* LEVRETUS.

Situs parturientis genubus atque cubitis innixæ in tempore adhibitus magna gaudet utilitate ad foetum capite obliquo ad partum tendentem, vel transverſe in utero ſitum manubus extrahendum, jam *Doctiſ. atque Experientis.* D. D. Johanni von Horn Potentiſſ. Regis ſueciæ medico primario innotuit, uti ex obſervatione XIX. atque XXVI. ejus libelli Siphra atque Phua intitulati dare apparet.

Rem ſuam bene agunt Medici Pariſienſes in partu p. n. non Pharmaca, ſed manus & conſilia medicorum obſtetricando medicinam facientium præſcribentes; ſicque propriæ famæ, ſalutique parturientis omnimode proſpicientes.

Pari quoque laude afficiendæ ſunt obſtetrices Pariſienſes, ab initio partus laborioſi medicos obſtetricando medicinam facientes in conſilium vocantes, propoſitionemque *Clariſ.* LEVRETI obſervatione comprobatam: *Sæpiſſime partum præternaturalem a medico obſtetricando medicinam faciente ab initio partus in conſilium vocato, absque omni inſtrumentorum adplicatione abſolvi*, multiplici experientia affirmantes.

Utinam ut etiam noſtrates ad talia ſeſe componant exempla, exinde uſum uncorum atque cultrorum ſcindentium noſtris quoque in oris, ſi non in totum, tamen in tantum evitari poſſe, nemo artis peritorum dubitabit.

Sectio-

Sectionem Cæſaream matre adhuc vivente, in quibusdam caſibus inſtituendam eſſe; perdocte docet *Clariſ.* LEVRETUS articul. IX, libelli ejus ſæpius jam citati.

Ex modo prolatis aperte fluit, adplicationem inſtrumentorum, & inſtitutionem ſectionis Cæſareæ matre adhuc vivente, non niſi ab imperitis, & in arte obſtetricia plane hoſpitibus rejici atque negari; miſerrime fallunt atque falluntur, nobisque nonniſi ſuavia narrant Somnia inſtrumenta in totum ex praxi relegantes.

Errata ſic Corrigenda.

Pag. 1. lin. 9. obſtetrica lege obſtetricia.
p. 3. in notis ſollen von den Worten an Toto coelo &c. die Diviſen weg ſeyn.
- - l. 10. declatando - declarando.
p. 5. l. 21. ſiniſtre - ſiniſtræ.
p. 6. l. 12. præcendenti - præcedenti.
p. 6. l. 23. Leyreti lege Levreti.
p. 15. l. 26. D. autor - Clar. Autor.
p. 16. l. 8. cum - eum.
p. 18. l. 16. & 17. del. parentheſ.
p. 20. lin. ult. in not. facili - facile.
p. 21. l. 1. ad acta - adacta.

Avertiſſement.

Nachdeme der auf dem Titul-Blat bemerckte Verleger und Buchhändler Enderes zu Schwabach ſeit etlichen Jahren her durch verſchiedene Correſpondenzen erfahren, daß hier und dar viele Diſputations-Liebhabere ſich befinden, aber nicht wiſſen, daß ſolche bey ihme zu haben, und wie ſie ſelbige zur Hand bringen können; Alſo hat er durch dieſes kund machen wollen, daß er nicht nur allbereit einen Vorrath von vielen tauſenden, aus allerhand Facultäten, beſitze, ſondern noch alle Meſſen die auf den berühmteſten Univerſitäten herauskommende Diſputationes in Menge anſchaffe, jederzeit einen Catalogum darüber drucken laſſe, und ſolchen einzeln gratis austheile, Bänd-weiß aber jeden Band um 15. Kreutzer, das Alphabeth Diſputationes hingegen um 16. Kreutzer baarer Bezahlung abgebe, auch allenfalls die Bände auf jedes Koſten ad ſtatum perluſtrandi communicire. Wer nun alſo Belieben hat, ſich dieſer guten Gelegenheit, indeme ſowohl mit denen täglich hier durchgehenden Botten und Fuhrleuten, als auch über Nürnberg, aller Orten hin die Beförderung geſchehen kan, zu bedienen, darf ſich nur ohne weitern Umſchweif durch Briefe, jedoch daß ſelbige Franco eingeſendet werden, an mich addreßiren, und das Anſtändige begehren, da ihme dann ſogleich willfahret werden ſolle.